OLAI BORRICHII

COGITATIONES

DE

VARIIS LINGVÆ LATINÆ ÆTATIBVS.

Accedit

Appendix de Lexicis Latinis, & Græcis,

Cum Indice addendorum ad Fori Romani literam C.






PANORMI,
Typis, & Expensis MICHAELIS COSTANZO. M.DCCVI.

Impr.
Sidoti V. G.

Impr.
De Vgo P.

LECTORI

BENEVOLO.



TYPOGRAPHVS.

NOn una mihi ratio, ut hanc opellam recude-em, lector humanissime, Au-ꝭoris eruditio non vulgaris, ariſſima exemplarium copia, nſignis libri utilitas animum mpulere meum, ut iterum in ublicam lucem emitterem: ne lum enim latinæ linguæ pro-eſſoribus, verum etiam & eru-ditionis ſtudioſis, ac univer-o orbi literato hàc editione em gratiſſimam me facturum rbitratus ſum. Hinc ad pu-

blicum bonum dum opus in mea nova officina renatum tibi offero, meum in omnium utilitatem studium excipe. Vale, ac molis majoris lucubrationes in dies expecta.

OLAI

OLAI BORRICHII
DE VARIIS LINGVÆ *Latinæ Ætatibus.*

CAPUT I.

QVI latinæ linguæ, clarissimæ illius & sacrarum, & profanarum litterarum custodis atque interpretis fata intentiùs secum æstimant, in duas potissimùm abeunt opiniones. Alii enim, in quibus *Jul. Cæs. Scaliger.* & *Ger. Joann. Vossius*, vivum quoddam & spirans humanæ vitæ simulacrum in eadem sibi videntur intueri; alii ætatem *auream*, *argenteam*, *æneam*, *ferream*. Et primi quidem non in-

conveniᴇnter. Enim veró ut humana vita ex infantia paulatim in adolescentiam devolvitur, hinc per statæ, virilisque ætatis temporarium robur in triste tandem senium demigrat, atque adeo in mortem ipsam, spe redivivæ integritatis temperatam novissimè terminatur: ita lingua hæc non modò post in cunabula & superastra sua, florem adolescentiæ, masculumque constantis ætatis succum, atque virile decus sibi gratulata est; sed pedetentim rugis perarata senilibus vacillantes gradus, fugientes vires, lapsantem dignitatem suam illætabilis observavit, donec in mortem denique ingloriam, aut certè morti simile deliqvium languida desineret, in theatrum orbis splendidior volventibus fatis reditura

ditura

ditura . Infantiam nobilissimæ linguæ educârunt *Carmenta*, *Evander*, *Salii*, *Livius Andronicus*, *Appius Cæcus*, *Trimatius*, *Cethegus*, *Lucillus*, *Hostilius*, *Titinius*, *Pacuvius*, *Afranius*, *Cato*, *Censorius*, *Ennius*, *Nævius*, *Atta*, *Cæcilius*, *Accius*, qvibus tamquam obstetricibus enutrita , interque balbutientium & loquentem media , ob conatum duntaxat meruit commendari . Vividam ejus , florentemque juventam rêxere. *M. Accius Plautus* , & *Publius Terentius*; qvibus tandem succedens ille cœlestissimi ingenii *M. Tullius Cicero*, robur & lacertos superinduxit , implevit medullas , nervos solidavit, & pæne supra consummatam antea Grajorum facundiam , alumnam suam unus extulit . Ceterùm

Gratippus olim profugo ex acie Pharſalicâ Pompejo, atqve ad ſe divertenti, in remedium doloris identidem inculcabat, fatales eſſe imperiorum periodos; ita neſcio quâ inevitabili lege, ut ſumma quæque alia ſtare diu in eodem gradu neſciunt, ſic & hoc graviſſimæ linguæ decus; hoc faſtigium nō diu perennavit illibatum, ſed in umbras ſenſim & caliginem, funebremqve habitum degeneravit. Ceterùm ad illud jam culmen, duce *Cicerone*, adſcenderat, athleticam illam corporis firmitatem vel contraxerat, vel retinuerat, curatoribus *Lucretiô*, *Cæſare*, *Corn: Nepote*, *Catullô*, *Propertiô*, *Tibullô*, *Varrone*, *Virgiliô*, *Ovidiô*, *Horatiô*, *Salluſtiô*, *Liviô*, *Gratiô*, *Victruviô*, *Maniliô*, ut nè gradu quidem mo-

moveri posset, aut luxari. Subrogati Atlantes alii & ipsi fortes, fidiq;qui antiqvam gloriam ita sustinuêre, ut in illis vel nihil, vel parum aut peregrinitatis, aut invisi senii internoscas: *Paterculum* designo, *Curtium*, *Celsum*, *Phædrum*, *Asconium*, *Senecam*, *Columellam*, *Palladium*, *Persium*, *Melam*, *utrumque Plinium*, *Tacitum*, *Florum*, *Quinctilianum*. Ex eo, antiqua illa majestas paulatim aliquid vitalis succi perdidisse visa est, nec id tamen adeo manifestè, ut efflorescentia hinc inde senii vestigia quiuis agnosceret; immò agnita multi virtutem, novumque splendorem interpretabantur.. Incidit ambiguum hoc temperamentum in ætatem *Suetonii*, *Frontini*, *Statii*, *Val. Flacci*, *Silii*, *Solini*, *Martia-*

lis, *Juvenalis*, *Jul. Obsequentis*, *Justini*, *Ausonii*, *Panegyricorum Veterum*, *Claudiani*. Hanc ætatem excepit tristis & canora senectus, quam repræsentant nobis *Appulejus*, *Spartianus*, *Lampridius*, *Treb. Pollio*, *Capitolinus*, *Vulcatius*, *Vopiscus*, *Marcellinus*, *Tertullianus*, *Sid. Apollinaris*, *Mart. Capella*, alii, quam denique irruentibus passim in Latium barbaris, funesta linguæ mors consecuta est. Et hîc quidem non tam temporis ordo, quàm ingeniorum observatus. *Gaspar Scioppius*, vir acerrimi judicii, pressiùs insistit tempori; cùmque in quatuor ætates, auream, argenteam, æneam, ferream dispescat latinos scriptores, auream à bello Punico secundo auspicatur, & ad extremos usque Oct. Augusti annos pro-

producit: argenteam deinde extendit ad interitum Neronis: hinc æneam ad Hadriani excessum: tandem ferream ad Theodosii minoris tempora. Aureæ ergo ætatis scriptores illi sunt, *Cicero*, *Plautus*, *Terentius*, *Ennii*, *Lucilli*, *& aliorum veterum Poetarum*, *atque Historicorum fragmenta*, *Lucretius*, *Jul. Cæsar* (cui adjungendus A. Hirtius) *Cornel. Nepos*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Varro*, *Virgilius*, *Horatius*, *Sallustius*, *Livius*, *Justinus*, *Cato*, *Victruvius*, *Ovidius*. Argenteam illi ætatem formant, *Curtius*, *Vell. Paterculus*, *Val. Maximus*, *Corn. Celsus*, *Dictys Cretensis*, *Phædrus*, *Mythologi Latini, in quibus familiam ducit Hyginus Augusti libertus*, *Seneca rhetor*, *philosophus*, *tragicus*, *Persius*, *Lucanus*, *Asconius Pedia-*

nus, *Columella*, *Palladius*, *Pomp. Mela*, *Petronius*, *Manilius*, *Gratius*. Ætatis æneæ ſcriptores *Scioppio* ſunt, *Quinctilianus*, *Juvenalis*, *Plinius uterque*, *Suetonius*, *Tacitus*, *Florus*, *Statius*, *Valer. Flaccus*, *Sulpitiæ Satyra*, *Martialis*, *Silius Italicus*, *Solinus*, *Frontinus de ſtrategem: aquæduct. & coloniis.* In ferreâ ætate collocat *Gellium*, *Apulejum*, *Tertullianum*, *Arnobium*, *Min. Felicem*, *Vegetium*, *Frontinum de re Militari*, *Panegyricos XII. Rhetores antiquos*, *Lactantium*, *Cenſorinum*, *Aurel. Victorem*, *Symmachum*, *Macrobium*, *Auſonium*, *Prudentium*, *Claudianum*, *Calphurnium*, *Nemeſianum*, *Amm. Marcellinum*, *Jul. Obſequentem*, *Apicium Martianum Capellam*, *Jul. Firmicum*, *Boethium*, *Seren. Samonicum*, *Spartianum*, *Lampridium*, *Vopiſcum*, *Trebell.*

bell, Pollionem, *Jul. Capitolinum* & *Vulcatium*. Denique ultimò ætatatem quandam incertam, variamque inducit, inque ea numerat *Auctores finium regundorum*; *Medicos* Latinos *veteres*, *Cælium Aurelianum*, *Scribonium Largum*, *Marcellum Empiricum*, & tandem *Inscriptionum antiquarum volumen à Grutero divulgatum*: Erudita hæc quidem, & magnô judiciô pronunciata: de singulis tamen ætatibus in gratiam tironum pauca monebimus.

CAP. II. I. Inter aureæ ætatis scriptores *Lucillii*, *Pacuvii*, *Accii*, *Catonis*, *Enniique fragmenta* non aliter locum inveniunt, quàm inter usitatam vulgò monetam, antiqua numismata, quibus ab annorum numero plus accedit venerationis, quam à nobilitate me-

talli. II. In *Plauto*, & *Lucretio* plura, in *Varrone*, & *Terentio* nonnulla occurrunt abſoleta, quæ hodie veriùs pro metallo adorandæ rubiginis, ut *Juvenalis Sat. XII.* 148. loqui amat, quàm puro, putoque obryzo habenda, utcunque fuerint id temporis ſatis elegantia, ſatis aurea. III. *Juſtinum* inter aureæ ætatis ſcriptores, immeritò refert *Scioppius*, cum conſtet ex *Voſſio* de *Hiſtoric. Lat.* & dictione ejuſdem ipsâ, vixiſſe cum Antonini Pii demum principatu. Obducat *Scioppius* Trogum Pompejum ſcripſiſſe ante natum humani generis Salvatorem; *Juſtinum* autem *Trogi* veſtigia preſsè ſecutum, ejuſque ampliſſimam hiſtoriam compendium redegiſſe, hinc inde tamen vocibus ferreæ ætatis modicè inſper-

ſperſis. Verùm ſcripſerit ante Chriſtum *Trogus*, non intercedo, ſed *Juſtinum* verbis *Trogi* inhæſiſſe mordicùs, aut vel unam periodum integram ex *Trogo* in opuſculum ſuum tranſtuliſſe, unde demonſtrabitur? eôdem argumentô *Florus* inter aureos ſcriptores cooptandus eſſet, cùm *Livium* compendiò reddat. Ceterùm quemadmodum dictionis Livianæ nihil adeo retinuit *Florus*, ita de *Juſtino* non diſpar erit judicium. Accedit ipſa *Juſtini* dictio, quæ plurimis locis Antoninorum ſeculum redolet. Pervelim ſcire, quis ævô Auguſti ita ſcripſerit, *Et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, ſymbolos proponi, & ſaxis proſcribi curat*. Hoc ipſum tamen *Juſtini* eſt *lib. II. c. II.* 2. Similiter

ejusdem est *l.* 37. *c. II.* 6. *Mithridates ita se adversus insidias exquisitioribus remediis stagnavit, ut nè volens quidem senex venenô mori potuerit.* Ejusdem est, *impossibile restaurare bellum, in pœnalem civitatem mitti, adunata classis,* & sexcenta alia, quæ hîc referre supervacuum, & seculi aurei non esse, certissimû est. Tacebo *Scioppium* contra *Fam. Stradam*, contendere, illa duo non esse aureæ ætatis: *me latet*, &, *defectus viribus*. *Justinus* tamen utrumque amat Libr. 13. c. 8. 6. *Sed res*, inquit, *Eumenen non latuit*: Et Libr. 12. c. 8. 14. *Quorum non tam studiis deficiatur, quàm annis.* Sed de hac ultimâ *Scioppii* opinione disquirendum alibi. IV. *M. Victruvium, Pollionem*, quem Julii Cæsaris & C Ct. Augusti principatu vixis-

vixisse constat, è fæce plura hausisse arbitratur, *G. Jo. Vossius*, Vox ejus, *libr. de Vit. Sermon.* post quam scripsisset, Nullibi *apud idoneos Auctores nusquam extat.* Tandem in calce operis: I. IV. c. 34. p. 814. *Verùm iis exaratis*, inquit, *atque editis, ecce apud Basilium Zanchum in verborum Latinorum epitome lego, vocabuli hoc usurpatum Vitruvio. Sanè aliquid hoc est, Interim is scriptor, suæ licet artis, Architecturæ videlicet, intelligentissimus multa è vulgo haurit; quæ elegantiores omnes refugerunt.* In eadẽ pænè sẽtentiã *Scioppius*, *Vitruvius*, inquit, orationẽ *peregrinitate, & plebitate infuscat*. At peregrinitatem excusat, immò imperat argumẽti novitas, quòd ex Græcis pæne omnia fontibus haurienda. Plebitas (ut cum *Catone*

tone loquar) ipsi necessaria, & sine vitio, quòd plebejorum manibus, & linguâ uti cogatur architectus. Quid quòd plebs sæpe de rebus quotidianô opere sibi cognitis magis propriè, purèque (præsertim optimô illô seculô) loquatur, quàm in scholâ philologus. Potuit *Vossium*, *Scioppiumque*, in hanc opinionem induxisse ingenua *Victruvii* confessio *l.* 1. *c.* 1. *Architectur. Peto Cæsar*, inquit, *& à te, & ab his, qui mea volumina sunt lecturi, ut si quid parum ad artis Grammaticæ regulam fuerit explicatum, ignoscatur. Namque non uti summus philosophus, nec rhetor disertus, nec Grammaticus summis rationibus artis exercitatus, his literis imbutus hæc nisus sú scribere.* Verùm nè sua modestia fraudi sit *Victruvio*, existimandum eum

sic

ſic ſcripſiſſe, non tam quòd in latinis vocibus ſibi quidquam temerè excidiſſe arbitraretur, quā quia cum flexu, & compoſitione Græcorum vocabulorum pæne infinitorum luctandum ſibi providebat, ut artem à Græcis hauſtam commodè explicaret: in eâ tranſlatione, nè irritaret Grammaticorum ebelos, metuebat. Nam nè indoctū putemus *Vitruvium*, ipſe *librô* VI. diſertè tradit, *imbutum ſe à parentibus encycliô doctrinarum omnium diſciplinâ, & philologis, atque philotechnis rebus delectatum*. Virorum ergo doctorum judicia non formidavit *Vitruvius*, ſed moroſiores Grammaticos, quales & id temporis Romæ vixiſſe ex *Suetonio* diſcimus *Scioppiô* forſan ſcrupuloſiores, quamquam & hic in *Varrone*,

rone, *Ovidio*, *Quinctiliano*, atque adeò *Tullio* ipso inveniat, quod castiget.

CAP. III. V. Si quorundam judicio standum circuncidendus adhoc erit ille scriptorum aureæ etatis numerus. Audiamus. *Io. Rhodium* nostratem virum sine controversia & doctum & laboriosum *Is in emēdat ion:notisque ad Scribonium largum,quid quod* inquit, p. 5. *Seculum latini sermonis castissimum vix ad Augusti tempora pertigerit, quem quotidiana sermonis consuetudine sæpius delectatum tradit post Svetonium Charisius eloquentiam post Ciceronem se quoque retro dedisse conqveritur Seneca controv. lib.* 1. *nec vllus paullò cultior qui ejus generis plura in Phædro Augusti liberto non animadvertit.* Igitur si Rhodium audimus inter

inter scriptores aureæ hoc est castigatissimæ ætatis locum vix merebuntur *Virgilius*, *Horatius*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*, *Victruvius*, *Livius*, qui omnes sedente ad clarum imperij Augusto scripserunt; *Livius* quidē circa Consulatum Augusti quintum, Ovidius etiam quædam post eiusdem obitum sicut ex l.IV.*de Ponto eleg*. 13. *v*. 25. liquet.

Nam patris Augusti docui mortale fuisse.
Corpus: in æthereas Numen abisse domos;
Esse parem virtute patri, qui frena rogatus
Sæpe recusati ceperit Imperij.

Ceterum quamquàm monitum illud Rhodij nō sit de nihilo, non desinent tamen prædicti scriptores in aureo seculo numerari. esto enim

enim fuerit quandoque delectatus Augustus quotidiana sermonis consuetudine id non impedit quò minus *Virgilius*, *Horatius* ceterique Auctores meditate purissimèq; scripserint. Quod si vulgus & pauci alij aliquando loquantur rusticiûs, id doctis & deditâ operâ eleganter nitidèque scribentibus vitio nequaquam vertendum. Notum provocatumque quam anxiè illi olim sua scripta elimaverint. ex *Horatio* id constat *Serm.l.*1. *Sat.X.* 72.

Sepe stilum vertas, iterum quæ
digna legi sunt
Scripturus. ----

Ovidius de se se l. 1.*Trist.eleg. VI.* 39. 40.

Quidquid in his igitur vitij
rude carmen habebit
Emendaturus si licuisset,
eram.

De

De Virgilio decantatum illud circumfertur.

Iusserat hæc rapidis aboleri
carmina flammis, &c.

Quod autem ad Augustum de eo clarum est Svetonij *in Aug.* 86. *v.* 1. testimonium. *Genus eloquendi secutus est elegans & temperatum: vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum, ut ipse dicit, fœtoribus. Præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissimè exprimere.* Et paullò post c. 87. v. 1. *Quotidianò sermone quædam frequētiùs & notabiliter usurpâsse eum, litteræ ipsius autographæ ostentant. In quibus identidem, cum aliquos nunquam soluturos significare vult,* ad GræcasCalendas soluturos *ait, & cum hortatur ferenda esse præsentia,* contenti simus hôc Catone.

tione &c. quod utique longè aliud est, quàm quotidianâ sermonis consuetudine sæpius delectari. Nunc ad *Senecam*: *Deinde* inquit, *ut possitis æstimare, in quantum quotidie ingenia decrescant: & nescio quâ iniquitate naturæ eloquentia se retrò tulerit: quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ nostris studiis lucem attulêre, tunc nata sunt. In deterius deindè quotidie res data est.* Verum enim verò loquitur hic *Seneca* de Eloquentia tantum oratoria, non de historia, in qua excelluit postea Livius: non de Poëtice, in qua *Virgilius*, *Horatius*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*; non de architectura, in qua *Victruvius*. In historia quidem & architectura

quan-

quantus fuerit *Tullius*, non perinde constat; nihil certius autem, quàm fuisse eum inter non optimos Poëtas. Vox *Martialis* II. Ep. 89. 34.

Carmina quòd scribas Musis, & Apolline nullô,
Laudari debes; hoc Ciceronis habes.

Neque obscura sunt illa irrisoris *Juvenalis Sat. X.* 121. *s.*

O fortunatam natam, me consule Romam!
Antonî gladios potuit contemnere si sic
Omnia dixisset: ridenda poemata malo:
Quam te conspicuæ diuina Philippica famæ.

De eloquentiâ quidem *Ciceronis* ita olim *Quinctilianus Instit. Orat. l.* 12. *c.* 10. *Tullium tamen &* *suo-*



suorum homines temporum incessere audebant, ut tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exsultantem, & pæne (quod procul absit) virô molliorem. Sed suum jam ante judicium graviter pronunciaverat, *Fabius l. 12. c. 1. Ego tamen*, inquit, *secundùm communem loquendi consuetudinem sæpe dixi, dicamque*, perfectum Oratorem esse Ciceronem, *ut amicos, & bonos viros, & prudentissimos dicimus vulgò, quorum nihil nisi perfectè sapienti datur. Sed cùm propriè, & ad legem* ipsam *veritatis loquendum erit, eum quæram Oratorem, quem & ille quærebat.* Verùm quemadmodum certum est *Tullium*, Oratorum Latinorum, qui hactenus floruêre

ruêre, eminentissimum fuisse, quod & alibi *Fabius* adstruit, ita non minùs constat, injuriam ipsi fieri à *Scioppio*, quando in *Animadversion.* in *Vossium* ita scribit: *Meministi haud dubiè, quod discernere nequiverit Tullius, rectène,* Pompejus tertiùm Consul, *an* tertiò, *diceretur.* Ita enim *Tiro Tullius,* Ciceronis libertus rem explicat apud *Gellium l.X. C.I. Qùum Pompejus*, inquit, *ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vice theatri essent, nomenque ejus, & honores inscriberentur: quæri cœptú est, utrum* Consul tertiò, *inscribendum esset,* an tertiùm. *Eam rem Pompejus exquisitissime retulit ad doctissimos civitatis. Quumque dissentiretur, & pars* tertiò, *alii* tertiùm *scribendùm contemderent, rogavit Ciceronem Pompejus, ut quod*

ei

ei rectius videretur, scribi juberet: tum Ciceronem judicare de viris doctis veritum esse: ne quorum opiniones improbasset ipsos, videretur improbasse, Persuasit igitur Pompejo, ut neque tertium, neque tertiò scriberetur: sed ad secundum usque fierent litteræ: ut verbo non perscriptô res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret. Palam equidem hîc est discernere potuisse Tullium, quid scribendū esset, sed ne quemquam offenderet, callidè abstinuisse, sed hæc *Scioppii* in judicando libertas hoc patientius ferēda *Tullio*, quò certius est, similem censendi licentiam, imo quandoque acerbitatē ab omni pene ævo invaluisse. Ita apud *Macrobium* hinc inde vapulavit *Virgilius*, apud *Quinctilianum* * lib.1.c.9.& l.8.c.1.*Pollione Assi-*

niô

niô Patavinitatem (ideſt affecta-tionem verborum) municipalem exprobante, *Livius*; apud *Sciopp iū* de ſtilo Hiſtorico p. 7. ſ. *Tacitus.* ita *Salluſtius Lenęo*, apud *Sveton*: Ineruditiſſimus verborum Catonis fur eſt; *Seneca Caligulæ* apud *Sveton. harena ſine calce*: Vox *Vopiſci* in *Aureliano neminem ſcriptorum quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: eſſe quinetiam, in quo Livius, in quo Salluſtius, in quo Corn: Tacitus, in quo denique Trogu s manifeſtis teſtibus convincerentur.* Sed nos è diverticulo iterum in viam, & ad *Senecam*. in cujus verbis ſtudiosè notandum illud *circa* quod utiq; latius porrigitur, quàm ad ætatem viventis *Ciceronis*. Quid quod plures Auctorum prędictorum nati ſint vel vivo adhuc *Cicerone*, vel

non diu ab ejusdem obitu. Deniq; *Seneca* declamatori aliquãdo proprior est, quàm historico, liberiusque sibi indulget, nè excidat propositô sibi acumine. Quis enim non advertit hyperbolem in illo ejusdem *epist. xxxix. hæc quæ nũc vulgo* breviarium *dicitur, olim cùm latinè loqueremur*, summarium *vocabatur*. Nec novę sunt eiusmodi censuræ; jam olim enim & *Nevius* ita sepulcro suo jussit inscribi, teste *Gelliô l.1.c.xxiv.*

Mortalis immortalis flere si foret fas:
Flerent divę Camęnæ Næuium Poetam.
Itaque post quam est orcino traditus thesauro;
Oblitei sunt Romæ loqui er latina lingua.

Et Elius, Stolo si *Varroni* fides, *dicere*

re

re solitus est, *Musas Plautinô sermone locuturas fuisse*, *si latine loqui vellent*. Neq; *Plautum* tamen imitatus est *Cicero*, sed divertissima via grassatus ad eloquentiæ gloriam. Quod autem *Phædrus* obtenditur, id momenti minoris est: namque post obitum demum Augusti scripsit *Phædrus*, imo post casum Seyani, ut ex ipsius fabulis manifestũ est, in quibus & Augustus *divus* appellatur *lib*. 3. *fab*. *x*. 39. eoque is non Octaviani Libertus, sed Tiberii Augusti salutandus. Interea non inficiandum, linguam latinam statim ab Oct. Augusti obitu cępisse tantillum à pristina majestate degenerare; quemadmodum ex *Seneca*, *Quintiliano*, aliisq; colligimus. VI. In *Manilium* paullò mihi obliquior videtur *Scioppius* quod in argen-

teæ ætatis classem eum retulerit, cum in aureæ, locũ mereatur. Etenim & argumentum difficillimũ cultô meditatôq; expressit carmine, & scripsit aliquot annis ante excessum o⋅. Augusti recenti nimirum adhuc vulnere Varianæ cladis ut ex libro ejus primo notamus. Quin & librum suum Astronomicum Augusto Cęsari dedicasse vel ex his l. 1. v. 7.8 .s. verbis confici videtur.

Nunc mihi tu, Cęsar, patriæ
princepsque paterque
Qui regis Augustis parentem
legibus orbem,
Concessumque patri mundum
Deus ipse mereris,
Das animum, viresque facis
ad tanta canenda.

Meretur hîc laudem opt. *Vossii*, ingenuitas : *Si sit avi Augustæi,* in-

inquit, *Manilius*, *eum sibi imitandum proposuerit Julius Firmicus, qui sub Constantino Magno vixit. Sin Theodosianâ vixerit ætate, Manilius Firmicum, carmine expresserit Quæ opinio nobis placuit. l. II. de Arte Grammat. C.XXVI. Nunc in alteram magis sententiam propendeo. Legenti enim Manilium, iterum, iterumque, omnia Augusti tẽporibus videntur cõvenire.* VII. Neq; *C. Julium Hyginum* cujus hodieque *poeticon Astronumicon*, & *fabulæ* extant, hôc ordine exclusérim, utpote scriptorem Oct. Augusti principatu celebrem. In hanc rem *Suetonius* de *illustr. Grammat. C. XX. C. Julius Hyginus, Augusti libertus, natione Hispanus, etsi nonnulli Alexandrinum putant, & à Cæsare puerum Romam advectum, Alexandriâ captâ. Studiosè & audivit*

divit & imitatus est Cornelium Alexandrum, Grammaticum Græcum: quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem *multi, quidam* Historiam *vocabant. Præfuit Palatinæ bibliothecæ: nec eò seciùs plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ovidio Poetæ, & C. Licinio, Consulari, Historico.* Constat autem *Ovidium* plusculis ante excessum Oct. Augusti annis Tomos relegatum, eòque amicitiam hanc, vivô, validôque adhuc Augustô coaluisse.

VIII. Immò & Oct. Augustô rerum potiente floruit *Gratius Poeta*, cujus opus *Cynegeticon* adhuc in luce publica versatur, eôque nomine inter aureæ ætatis scriptores meretur censeri. Vixisse autem Oct. Augusti ęvô vel illa *Ovidii* probè expensa ostenderint l.IV. *Pont. Eleg.* XVI. 33.

Ti-

Tityrus antiquas & erat qui pasceret herbas,
Aptàque venanti Gratius arma daret.

IX. Neque forsan malè convenerit aureæ ætati cum Aratæis. *Germanici Phænomenis*. *Tulliana* extra controversiam hujus ævi sunt; *Avieni* nequaquam, utpote Gratiani & Theodosii principatu elucubrata. *Germanicus* autem jam tùm Oct. Augustô imperante & uxorem duxerat, & ex ea liberos susceperat, Augusto quoque ita probatus, ut tantùm non sibi destinaret successorem, quemadmodum nos docet *Suetonius*. in Calig. c. IV. Idem mox exercitibus præfectus, cùm in Germania, Armenia, Cappadocia res magnas gessiesset, decessit annum agens trigesimum quartum:

ut neceſſe ſit *phænomena* hæc, vivô adhuc Auguſtô lucem publicam vidiſſe. X. Nec ab hac claſſe removendus *Cornelius Severus*, cujus *Ætnam* adhuc legimus, *Virgilio* per errorem attributam, & poſtremos Auguſti annos perfectam. Hujus enim *Severi* eſſe *Ætnam* hanc ex *Epiſt.* LXXIX. *Senecæ* colligimus: *Morbo enim tuo*, inquit, *daturus eras, etiamſi nemo mandaret tibi, donec Ætnam deſcribas in tuo carmine, & hunc ſolemnem omnibus Poetis locum attingas. quem quò minus Ovidius tractaret, nihil obſtitit, quod jam Virgilius impleverat; ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit.* XI. Cùm *Varroné* in aurei ſeculi ſcriptoribus reponimus, intelligimus *M. Terentium Varronem*, Romanum, Auctorem libror. *de Re Ru-*

ſtic.

ſtic. & *Lingua Lat.* non autem *P. Terentium Varronem Atacinum*, ex Narbonenſi Gallia oriundum. Quamquam enim & *Atacinus* hic Julii Cæſaris & Triumvirorum, floruerit temporibus, ſcripſeritq; & *Argonautica*, & *Bellum Sequanicum*, illa tamen præter pauca fragmenta, injuriâ temporum interciderunt. *Cornelius Gallus* hîc præteritur, non quòd non vixerit ſeculô Auguſti, ſed quòd carmina, quæ ejus nomine circumferuntur, ſuppoſitia ſint, à *Maximiano* quodam, ſene amatore, & inepto confecta, quemadmodum ex *Lil. Gyraldo*, aliiſq; cognoſcimus. Atque iſta hactenus de ætate aurea; in qua ſi Lector ſtilum, characteremque diverſum miretur, cogitet, hodièq; diverſa eſſe ingenia, nec à duobus

eodem annô; de argumento eodem scribentibus dictionem eamdem exspectandam. Quin & eidē alia dictio plerumque juveni placet, alia seni. Ut taceam ingeniosiorē, ut est ab alicujus scriptoris lectione crecentior, ita eundem proximè exprimere, & hôc mense *Plautinis* madere salibus, illô & voces & vultum ad ingenium Senecæ contrahere. Igitur, si aureæ ætatis scriptores à tempore quô floruêre æstimandi sunt, hi erunt, quos modò nominavimus, incipientes à bello Punico II. hoc est, annô Urbis Conditæ Dxxxvi. atque in morte Oct. Augusti desinentes, annô sc. U.C. Dcclxvii. ita duraverit ętas aurea annis circiter Ccxxxi.

CAP. IV. In argentea *Scioppii* ætate nonnulla etiam desiderabunt

bunt forsan, qui rem attentiùs expenderint. I. *Dyctis Cretensis* non repræsentat genium illius seculi. Pugnat quidem pro eo vehementer *Scioppius*, & omnino *Velleii, Valerii Maximi*, aut *Curtii* ætate ab aliquo elegantis ingenii, & judicii homine scriptum arbitratur, inque *Josiam Mercerum*, negantē, acerbè, more suô, invehitur. Sed *Vossius* maturiori judiciô trāsfert scriptorem hunc, *librô de Hist. Lat.* in ævum Constantini Magni, aut, quod adhuc verisimilius putat, in aliquot post Constantinum M. ætates. Quin & dictio ipsa hujus *Q. Septimii Romani* (qui *Dyctin* Græcum vertisse creditur) utcumque non inelegans, refert tamen sæpe nescio quid strepeṙum, & auri tereti inusitatum. Quis enim argenteæ ætatis judicabit

ista? *l.I.*de *bell.Trojano,Inde,*inquit, *quod jam Alexander abreptis, quæ cupierat, abscessionem properabat, parvô tempore armati ad naves veniunt.* Paullò post: *Atque ita sagittatis jam preliô hostibus evadunt.* Dices, *sagittare* probum est. Non damno; sed argenteæ ætatis esse unde demonstrabitur? *Iustini* quidem est XLI. II.5. *Hos & equitare & sagittare magnâ industriâ docent.* & *Solini* C.XXII. *Faciliùs obvios se prębent saggittantibus.* & *Vegetii* l. de *Re Milit.* I. C. XV. *Ut sive in equo, sive in terra, rectum saggittare doceant.* & *l.* III. C. IX. Si in campi incursione, in sagittando, in jaculando, in ordinanda acie ad plenum fuerint eruditi. Atque in *Epilogo* libri III. ejusdem *Vegetii.* Sagittandi peritiam in Serenitate tua Persa miratur, sed hi auctores sunt extra ævum,

ar-

argenteum. Ut mittam, hos vocabulum usurpare significatione neutrâ,, atque sine casu adjuncto *Dyctin* seu *Septimium*, passivâ & casu comitante, quod novum utique, & hujus auctoris commentum. Iterum l. I. p. 15. *Queîs perfectis purè lauti Martem atque Concordiam multis immolationibus sibi adhospitavêre*. Et mox p. 21. *Ita per æquationem numeri atque partium quadripartitur exercitus.(quadripartitus* tamen melioris ævi est) *l. II. Egregiè nobis actum est*, pro *nobiscum*. Eôdem librô: *Uti interpositâ jusjurandi religione confirmarent, nequaquam se ob eam causam offendi*. Ibidem: *At ubi in manus ventum est, cohortati suos quisque acie confiixêre*, pro *ad manus*. Et quibúsdam interjectis: *At ubi novis jaculis manus redarmatæ sunt*,

ſunt, pergunt contra. l.IV. Dein plurimos, uti quemque intra telum fecerant, interficiunt, pro, *ut quiſque ad teli jactum pervenerat*. Et poſt pauca: *Tuncque reſtentibus cunctis ducibus caſum tanti viri, plurimi militum haud dolere, neque uti res expoſcebat, triſtia commoveri.* Tandem verſus finem ejuſdem libri: *Dein ſubjungit Laomedontis adverſum Herculem famoſam perjuriam, inſecutamque ejus, atque regni everſionem. l. VI. Solutis anchoralibus navigant*, pro *anchoris*. Sed quid attinet in re liquidâ, & confeſſa verba perdere, cùm dictio ipſa ævum obſcurius fateatur? II. Diſcrimen, quod ſtatuit *Scioppius* auream inter & argenteam ætatem, volentes admittimus, tum quod *Seneca*, Quinctilianus, aliiq; agnoſcant, tum quòd magnô exẽplo-

plorum adparatu *Scioppius l. de styl. Histor.* rem confirmet: verùm quod facit inter argenteam, & æneam, non perindè nobis probatur. Enim verò diversitas illa inter scriptores qui ab obitu Augusti ad Neronis excessum floruerunt, & qui à Nerone ad excessum Trajani, adeò est tenuis, ut pænè nulla censeri debeat. Nec efficacis patroni officiô fungitur *Scioppius*, cùm ita scribit: Quantum verò ab aureæ ætatis cõsuetudine istorum(*Plinii*, *Svetonii*, *Flori*, *Statii*, *&c.*) sermo degeneravit, cùm aliàs, tum l. IX. c. III. in principio sic testatum facit *Fabius*: *Verborum verò figuræ & mutata sunt semper, & utcumque valuit consuetudo, mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne jam quidquid loquimur, figu-*

figurâ est, *ut* huic rei invidere, *non, ut omnes veteres*, *&* *Cicero præcipuè*, hanc rem: *&* incumbere illi, *non* in illum, *&* plenum vinô, *non* vini, *&* huic, *non* hunc adulari *jam dicitur*, *&* *mille alia*: *utinamque non pejora vincant*. Neque enim hinc colligitur, *Plinium*, *Florum*, &c. *Senecâ*, *Phædrô*, *Asconiòve* inferiores esse, sed tantùm, omnes hos inferiores esse aureâ ætate, quod nemo negaverit. Probet Scioppius *antiquum* illum *sermonẽ*, esse argenteæ ætatis, & non potiùs aureæ. Certè cùm *Quinctilianus*, omnes veteres & *Ciceronem* post illos inducit, liquidò ostendit sibi de aureâ ætate sermonem esse. Neque verò hîc *Fabius* tàm carpit ævi sui consuetudinem, quàm explicatè ostendit verum esse illud *Horatii* in *Art. Poet.*

Mul-

Multa renascentur, quæ jam
cecidêre: cadentque
Quæ nunc sunt in honore vo-
cabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, &
jus, & norma loquendi.

Et fidem vestram! Lectores, quid habet *Valer. Maximus*, *Phædrus*, *Asconius Pedianus*, *Lucanus*, *Persius*, quod *Tacito*, *Floro*, *Svetonio*, *Martiali*, *Silio*, *Juvenali* præferri mereatur? Quis argenteæ ætatis superaverit juniorem *Plinium*? si vel ex uno, quem Trajano dedicavit, panegyrico æstimari debeat. Mihi igitur, salvâ manium Scioppiorum reverentiâ, unam ætatem, unamque classem argenteam constituere videntur scriptores, quotquot ab Augusti obitu, ad obitũ Trajani ingenii monimentis inclaruêre. Quæ etiam caussa

caussa est, cur illustris *Muretus* temeritatis eos arguerit, qui verba, loquendique genera ab his auctoribus usurpata fastidiant, & solum *Ciceronem* imitandum sibi proponant, ætas hæc argentea, quæ ab excessu Augusti, id est annô Christi XIV, ad Trajani excessum, sive annum Christi CXVII. extenditur, C I I I. annos præcisè implebit. III. *Solinus*; quem in eumdem ordinem cum *Plinio, Tacito, Svetoniòque*, compingit *Scioppius*, indignus est locô tàm honoratô: quin immò & annis, & dictionis cultu, jure, meritôque cēsendus infra *Gellium*, quem ille tamen ad ferream ætatem condemnavit. Et quidem *Solinus sesquiseculô*, ut loqui amat *Vossius*, post *Plinium* scripsit, si ex stylo judicium fieri debeat, hoc est, post

prin-

principatum Heliogabali, aut (si veriorem in numiſmatis antiquis quærimus adpellationem) Elegabili. *Frontinus de ſtrategem. aquæduct.* & *colon.* ferri aliquatenus in hac claſſe poteſt, ut qui, ſecundùm *Tacitum*, prætor urbanus fuit Veſpaſianô II. & Titô Coſſ. ſcripſitque tùm Nervæ, tùm Trajani principatu, quemadmodum ex opere ipſò, & item *Vegetio* liquidum. *Frontini* autem ſcriptum de *Re Militari* dictione ignobilius judicatur, eòque *à Scioppio* in ferream reiicitur ætatem, ſive, quòd ab eodem admodùm adoleſcente, ut *Voſſio* perſuaſum, compoſitum ſit, ſive ab infelice ſequioris ævi manu interpolatum. IV. *Juſtinum*, utcumque demum Antoninorum principatu floruerit, judice *Voſſiô*, propter cultam, terſâque

que dictionem, quâ plerumque delectat, huc forsan non iniquè revocabimus; & *Gellium*, Trajanô principe, secundùm *Patavium*, *Adrianô*, secundùm *Vossium*, forsan utrôque illustrem, egregium scriptorem, & necessarium Grāmaticum, vocùmque antiquarum vindicem, & censorem incorruptum. Sed quid fiet *Scribonio Largo*? quem in ætatem incertam exterminat *Scioppius*. Equidē *Joann. Rhodius*, vir & de litteris humanioribus universim, & de hoc præcipuè Auctore præclarè meritus, non levibus argumentis inductus ita scribit: p. 5. Emendat. & notar. *Hunc autem* (Scribonium) *Tiberii Cæsaris ætate floruisse, liquet ex ipsiumet verbis compos.* XCVII. *pariter Claudii temporibus, cujus conjungem Messalinam advocat, cōposit.*

posit. LX. & cui se in expeditione Brittanica adfuisse memorat, compos. CLXIII. Certum tamen est, opus quod *Scribonii* nomine hodie exstat, magnam partem humili, plebejôque & aliquando, vix à barbarismi vitiis immuni stilô exaratum, ut existimari queat, ab imperita Sosiorum manu labem hinc inde contraxisse. Non planè interim displicet excusatio Rhodiana: *Etsi* inquit ibid. *non prorsus negaverim, quin pari cum ceteris scriptoribus fatô ab inficeta librariorum licentia non parum flagitii fuerit perpessus, illud tamen prisci nitoris elegantiam* Celso, *aliisque probi ævi auctoribus communem ipsi neutiquam obfuscavit: à qua sicubi stylo* Claudii *tēporibus alienô quātulumcumque declinet, cur non sicut olim, & nunc diversa ingeniorum di-*

scri-

ſcrimina, quibus oratio variatur? Huc pertinet *Æmilius Macer*, non ille antiquiſſimus, de quo *Ouidius*, cujus nihil hodie extat, ſed recentior, qui Neronis & Veſpaſiani temporibus inclaruit, ſcripſitque de herbarum virtutibus. Atq; utinam carmen ejus non ſit inferioris ævi: certè *Cæſ. Scaligero* nec bonus Poeta is eſt, nec bonus Medicus, quod utrumque ab argenteâ ætate alienius.

CAP. V. Quod ad æneam *Scioppii* ętatem, iam ante quò noſtra inclinet ſententia, aperuimus; reſtat, ut ejus locô ſuccedat quidam ferrea *Scioppii*, ænea tamen veriùs forsã adpelletur, quaſi ambigui coloris. Quemadmodum enim æs Japanicum rubet intenſiùs, Norvegicum Svecicumque remiſſiùs, aliud pene livet; nec

deeſt,

deeſt,quod adulterio arſenici trãſeat in alborem, miſturâ cadmiæ in colorem flaviſſimum: ita ætas hæc ambigui omninó, variique generis eſt, non ideo dumtaxat quòd Imperium variè interea concuſſum, & à principibus non raró peregrini ſanguinis adminiſtratum fuerit, ſed quod & ſcriptores ipſi ſæpe alienigenæ, cum pręclare ſe ſcribere, exiſtimarent, multum peregrinitatis nondum elegantiâ Romanâ ſubactæ dictioni Latinæ ſecum inveherent;& Romani ſæpe ipſi multitudine aliarum nationum inUrbem quotidie influentium, velut æſtu quôdam & torrente abrepti in degenerem paullatim loquendi conſuetudinem tranſirent.ſane,ſi iam olim *Cicero* in *Bruto*; ita Iure conqueſtus eſt: *Solum & quaſi fundamen-*

mentum oratoris vides locutionem emendatam & latinam : cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut scientiæ, sed quasi bonæ consuetudinis. Mitto C. Lelium, Publ. Scipionem, *Ætatis illius ista fuit laus tamquam innocentiæ, sic Latinè loquendi, nec omnium tamen : nam illorum æquales Cæcilium & Pacuuium malè locutos videmus.*Sed om*nes tum ferè, qui nec extra Vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat: rectè loquebantunr.* Sed hanc rem deterio*rem vetustas fecit, & Romæ & in Græcia. Confluxerunt enim & Athenas, & in hanc Vrbem multi inquitate loquentes ex diversis locis. Quò magis expurgandus est sermo, & adhibenda, tamquam obrussa, ratio, quæ mutari non potest, nec utendum pravissimâ consuetudinis regulâ:* Justius

de

de ætate hac ænea quærela iſtæc ingeminabitur, quâ pæne omnes linguæ, cum gente omni, in urbẽ immigraverant, paucis contra pravam loquendi conſuetudinem oculos attollentibus. Ideo non potuit non lingua Latina tum ſeneſcere & in anguſtias cogi, quemadmodum vel ſaxa atque marmora illorum tẽporum adhuc vociferantur. Videas enim Romæ *Inſcriptiones* marmorum *antiquas* literis nitido & rotundo charactere expreſſas, circa Veſpeſianorum etiã Principatum: cõtra, poſt Antoninos oblongo, ſqualido & neglecto plerumque literarum ductu horridulas. Id quod & in numiſmatis Romanorum ſagaciter iam ante advertit illuſtris *Ezechiel* Spanhemius: *Ramanorum numini*, inquit, *ab Auguſto ad*

Antoninorum usque & Severi tempora, magna cum artis & elegantiæ admiratione, ac in omni metallorum genere, varietate, intuentium oculos oblectant. Infra eam ætatem elegantia illa, ut fateor, defecit, & quasi unà cum Imperio Romano consenuit; ita ut ab usibus aliis potiùs, quàm ab elegantiâ commendationem mereantur sequentium Cæsarum numismata. Idem pænè linguæ Latinæ fatum; quod ex scriptoribus eorum temporum clarissimè adparet.

Cap. VI. Verùm ut certis quoque finibus hæc ætas circumscribatur, non inconvenienter factur nobis videmur, si eam à Trajan obitu, hoc est: annô Christ CXVII, ad Romam à Gothis ex pugnatam, seu, quod idem est, a annum Christi CCCCX, exten

da-

damus. Enimuerò hôc tempore urbs urbium, & caput gentis cecidit, nec nisi tardissimè à casu resurrexit; diu post omnium penè ludibrium. Hannibal barbariē quidem secum in Italiâ multis annis circumtulit, sed urbe intactâ. Gothi & pòst Longobardi, aliique bellicosi populi Urbem & Orbem Italum latè, diuque percursârunt. Qamquam autem Barbari Imperium Romanum extra Italiam diu ante carperent, immò propè lacerarent, præsertim Valeriani & Gallieni principatu, circa annum Christi CCLXV, & postea; in Italiam tamen non ita plenis âgminibus (nam antiqua secula hîc non attingimus) infusi sunt, ante irruptiònem Gothorū, Duce Rādagaisô tentatam Annô Christi CCCCV; quam mox in.

genti secutus exercitu Alaricus, Gothorum & ipse Rex Balthici generis, urbem tandem Romam obsedit, obsessamque cepit, & diripuit, annô instauratæ salutis humanæ CCCCX. Hîc demum non fenestra, sed janua barbariei aperta est; utcumque postea Gothici generis Reges instaurare castimoniam Latinæ linguæ identidẽ conati sint, de quo eruditè *Melch. Inchoferus.*

Cap. VI. Scriptores æneæ hujus ætatis diversi generis sunt, alii in fingendis, componendis, flectendis vocibus, & dictione audaciores, alii magis moderati: ex quibus præstantissimi semper illi, qui se genio seculi aurei quã familiarissimè adcommodavêre. In hac scriptorum æneorum classe primos inter locum meretur *Apicius*

s Cœlius, qui de *Arte coquina-*
X nobis libros reliquit, & vel
ỉmis Trajani annis, vel certè
uod verisimilius) Hadriani
ıcipatu scripsit. Opus ejus nō
ruditum, concisum, curiosum.
sè argumentum suum perse-
:ur sine fumis verborū. Quòd
ieniora quædam ab usu vulga-
lferat vocabula, ut *melizomū*,
batum, *amylatum*, *cuminatum*,
:tum, *omentatum*, *hydrogaratū*,
accabia, *thermospodium*, *apo-*
um, *exfoliare*, *mediare*, *subcul-*
', reexinanire, *spongizare*, *fri-*
:, farsilis, *excaldatus*, *albamen*,
: syringatus, *fiblare*, *infiblare*,
minatus spatula porcina, *com-*
ra, *æ*, *conchicla &c.* putandū,
ea esse vocabula, quæ nec
rè immutanda, & à coquis
ı argenteæ ætatis magnam

partem mutuata. Dices, *Apicium* Trajani ævô antiquiorem esse; sed nobis de altero illo nepotum altissimo gurgite, quem vidit ætas Tiberii, sermo non est. Noster hic Imperetori Trajano in Parthis, procul à mari argenti recentia ostrea misit artificiô mirô conservata, si verax est *Athenæus.L.Appulejum Madaurensem* Trajani tēporibus adsignat *Petavius*, rectiùs Antoninorum ævo adscribit *Vossius*. Certè Apologiam ab eo scriptam aut Antonini Pii principatu, aut paullò post, colligas ex his Apolôgiæ ipsius verbis: *Ante has Imperatoris Pii statuas filius matris suæ pudenda exprobret stupra, & amores objectet?* Durior est *Apuleii* dictio, & in fingendis vocibus, sententiisque licentior. Eādem pænè in vocabulis innovandis,

dis, immutandisque libertatem permisit sibi *Tertullianus*, & is Afer, multæ quidem, & reconditæ eruditionis, sed styli spinosioris. Floruit nihilominus Severo & Caracallâ Imperatoribus. Neque ab eadem voces, phrasesque confingendi audaciâ immunis est vel *Arnobius*, vel *Marcellinus*, vel *Symmachus*, vel *Vegetius*, vel *Firmicus*. Paullò abstinentior notatur *Minutius Felix*, *Spartianus*, *Lå-ıridius*, *Trebellius Pollio*, *Capitoli-ıus*, *Vulcatius*, *Vopiscus*, *Serenus amonicus*, *Juvencus*, *Avienus*, *hemnius Fannius*, *Lactantius*, *Pru-ntius*, *Hilarius*, *Marius Victori-s*, *Ulpianus* cum Fragment. *Vet. risconsult*. His autem adhuc ca-gatior, puriorque censetur *Ju- Obsequens*, à *Lycosthenis* addi-ıentis liber, *Aurelius Victor*,

Censorinus, Servius, Macrobius, Ausonius Calphurnius, Nemesianus, Inter emendatissimos hujus ævi habētur *Panegyrici Veteres* cum *Rhethoribus antiquis*, & *Claudianus*; quod mirum, cùm & gente Alexandrinus fuerit, & ultimâ æneæ ætatis lineâ scripserit, post Gothorum etiã in Italiam irruptionem. Hinc liquet, scriptores æneæ non esse eôdem atramentô absolvendos universos. Quemadmodum enim & in senibus quandoque juvenilem succum, floridasque genas conspicamur, & in ægris lucida sæpe, ut vocant, intervalla; ita & in scriptoribus senescentis linguæ aliquando dictionem observamus floridam, & exquisitam. Scilicet quò quisque genium, majestatemque Tulliani ævi propriùs inspexit, amavitq;

tene-

teneriùs, hoc præ cæteris æstimãdus est; nec enim strictè annorũ à seculis melioribus, magis, minùsve recedentium spatio metimur *Auctores*, sed & ingenii magnitudine, vocum selectarum usu, cultuque dictionis, quando & aurea ætas suos olim viderit *Mævios*, *Chærilos*, *Anseres*, *Baviosque*; & figlinis, ut ita loquar, emortualibusque seculis novæ sub inde faces, nova lumina, *Boethii*, *Cassiodori*, *Alcuini*, *Sarisburiensis*, *Saxonis Grammatici* resplenduerint. Probè *Quinctilianus Inst. Orat.* XII. c. IV. *extr. Præstant studia, ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis sæculis vixisse videamur*. Sed ut hæc lumina rara sunt, ita seculum suum reddere nequeunt beatum; sed ostendunt dumtaxat nondum effœtam esse

naturam, si diligentia & cura sollicita accedat.

Cap. VII. Tandē sequitur ætas partim ferrea, partim figlina, ut & hoc commune habeat cum statua *Nebuchadnezaris*. Hâc ætate quidquid novè confictum est, barbaris jam per omnia grassantibus, *barbarum* haud dubiè æstimandū erit, quod de ætate ænea timidius pronunciandum, movente se adhuc vivaciter Romanâ Republica. Amarem potiùs vocem *semibarbari* (ut *Suetonius* Cæs. c. LXXVI. loquitur) in quibusdam ætatis æneæ scriptoribus: in hac ultima nihil adeò est, quod invisum illū barbariei titulum excludat. Neque inficiandum tamen, multos initiô hujus ætatis, hoc est, seculô quintô, Latinè, & non ineleganter scripsisse (si paucas quas-

dam

dam maculas excipiamus)in quibus *Augustinus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Proba Falconia*, *Orosius*, *Sulpitius Severus*, *Prosper Aquitanicus*, *Sedulius*, *Numatianus*, *Sidonius Apollinaris*, ita ut æquent, si non aliquando superent industriã ætatis æneæ scriptorum. Verumenim verò plerique horum constantiam illam nitidè scribendi didicerant, verterantque in naturam, ante adventum vastatoris Alarici, jam maturi rebus gerendis ante expugnatam urbem; reliqui seculi sui horrorem vicerũt industriâ. Igitur non mirum, cultum illum dictionis aliquamdiu post irruptionem Gothorum perdurâsse. Ita cum pereunte Octavianô Augustô non statim periêre omnes aureæ ætatis scriptores, nec præcisè cum Trajano, omnes

argenteæ. Non ideo tamen non definiendæ certæ ſcriptorum metæ. *Odoacrô* poſtea in Italiam irruente circa annum Chriſti CCCCLXXVI, nox illa & caligo litterarum adhuc manifeſtior abſumptis jam morte, qui Honorii & Arcadii principatu priſtinam Muſarum gloriam quodammodo ſuſtinuerant. Nihilominus, quamquàm tenebræ illæ quotãnis redderentur obſcuriores, nè ſic tamen omnis litterarum honor emortuus eſt, omnis ſplendor exſtinctus. Namque & *Salvianus* circa annum Chriſti CCCCLX, atque poſtea, piè, & pro captu temporum, eruditè ſcripſit; & *Boethius* circa annum D. nitidiùs, floridiùſque & ſub idem tempus *Fulgentius* atque *Alcimus Avitus* non indiſertè; quibus adjungendus

dus circa annum DXIV. *Cassiodorus* & *Cassiodori* æqualis *Priscianus*. Scilicet, rara est nox tam illunis, ut non tabellarios saltem properantes splendore unius, alteriusve stellæ ducat & comitetur. Adderant nimirum etiam seculo barbaro monumenta antiquorum, quæ viam muniebant volentibus proficere, quãquàm pauci illi, militaribus istis seculis, & verè ferreis. Circa hæc tempora volunt quidam claruisse *Martianum Capellam*: verùm quia *Boethius l.I. de discipl.schol.* ejus meminit, ut scriptoris jam noti, vetustiorem esse vel hinc conficitur. De quo judicium ecce *Ludovici Vivis*! *Sidonii*, inquit, *& Capellæ prosa absurdissima est, versum non penitus reiicies.* Verum enim verò scriptorẽ eruditum esse, & in historia etiam

Ægy-

Ægyptiaca, ut alia mittam, probè versatum, ignorare non potest, qui eum sedulò versaverit; laudatus propterea etiam *Scheinero* in *Ros. Vrsinâ* : sed vitiô gentis, Afer enim fuisse traditur, & temporum, liberiùs sibi indulsit, distionisque Latinæ negligentior deprehenditur. Grammaticis hujus & superioris ætatis tantum tribuimus, quantum illi ex bonis Auctoribus probaverint. Tandē ferreô hôc seculô, circa annum Christi DXXXIII. plurimum incrementi accessit prudentiæ civili, non etiam nihil litteris humanioribus, cùm auspiciis *Justiniani Imperatoris* jura antiqua decus & splendorem justum reciperent. De quo loquentem Imperatorem ipsum audire par est: *Igitur*, inquit, *post libros quinquaginta Di-*

ge-

orum, seu Pandectarum (quibus
ıe jus antiquum collectum est,
d per eumdem virum excelsum
ɔonianum, nec non ceteros viros
tres & facundissimos confeci-
) in quatuor libros easdem In-
tiones partiri jussimus, ut sint
s legitimæ scientiæ prima ele-
a. Digesta tamen magnam
em ex scriptoribus æneæ æ-
constant, à ferreis in ordinē
rtas classes redactis.

ɪP. VIII. Successêre tempora
s adhuc tenebricosa, quibus
ı nec defuêre illustria quæ-
ngenia, pauca illa tamen, &
le rebus magis, quàm ver-
ɔorabant; in quibus *Arator,*
t. Fortunatus, Corippus Afri-
, Gregorius Turonensis, &
pòst, circa finem sexti se-
Gregorius Magnus. Seculum
septi-

ſeptimum illuſtravit *Iſidorus Hiſpalenſis*; octavum venerabilis *Beda*, & non diu poſt Bedæ diſcipulus, Caroli Magni præceptor, *Flaccus Alcuinus*, qui auſpiciis Caroli Magni Muſarum paleſtras hinc inde aperuit, & novæ litterarum gloriæ præludere cœpit. Sed conatus infra operis molem fuit, & cognitioni rerum aliquid, linguæ latinæ cultui parum attributum. *Alcuino* æqualis paullus *Varnefridus Longhobardus*, Diaconus *Aquilejenſis*. Secutus eum *Eginhardus*, ultimâ Caroli Magni ætate, ſcriptor in iis Latinitatis tenebris ſatis nitidus, terſuſque, *Voſſio* II. de Hiſtor. Latin. c. 33. p. 301. omnium Germanæ Hiſtoricorum vetuſtiſſimus adpellatus. Hunc excepit *Aimonius*, ſeculô nonô, item *Strabus Gallus*,

Ana-

Anastasius Bibliothecarius, & *Ado, Vienensis Archiepiscopus*. Decimô seculô inclaruit *Luitprandus*, & Danæ originis *Odo Severus*. Undecimô celebris fuit *Haymo Floriacensis*, *Glaber Rodulphus*, *Hermánus Contractus*, *Lambertus Aschaffenburgensis*. Duodecimô *Guntherus*, *Sigebertus*, *Ottho Frisingensis*, *Joannes Sarisburiensis Brittannus*, *&* *Saxo Grammaticus* Danus, de cujus ingenio honorificè jam pridem judicârunt *Erasmus Rotterodamus* & *Janus Douza*, nec minùs ingenuè nuper sapientissimus Ger. Joan. *Vossius l. de Hist. Lat.* c. 55. p. 443. *Quod ad Saxonis dictionem*, inquit, *tanta huius est elegantia, ut ętatis illius captum planè excedat, immò cum antiquiorum, & nostri seculi plurimis, certet*. Seculum tertium decimum insignivit *Philippus*

pus Gualtherus, *Alexādreidos* ſcriptor, *Conradus Abbas Vſpergenſis*, *Matthæus Pariſius*, *Vincentius Bellovacenſis*, *Martinus Polonus*, *Albertus Magnus*, *Tromas Aquinas*, *Bonaventura*, & poſteà ſubtilitatū Magiſter *Scotus*. Sed nè quis exiſtimet in Italia interea linguam Latinam floridiùs enituiſſe, intuebimur marmor quoddam in honoratiori templi Lateranenſis loco circa illa tempora ita inſcriptum, quod adhuc Romæ omnium patet oculis:

Illa ſtupenda dies mortis, quæ perdere talem
Auſa fuit, natura ſcivit perficere qualem.
Sedis Apoſtolicæ fuit iſte notarius horis
Omnibus, intus habens ſpeculum celeſtis amoris.

No-

Nomine Riccardus , sapiens , di-
scretus, habundans
Dotibus immensis, fuit area messe
redundans.
Littera cui quevis simul utraque
nota
Iura fuere sibi probitas , ubi nunc
sua tota.
Hunc Anibal genuit magnus pro-
lem quoque totam.
Roma tenet mundo famoso nomi-
ne notam.
Obiit sub Papâ Nicolao IV.
Anno 1289.

Illa ergo Romæ tum facies litterarum humaniorum . Decimô quartô seculô floruit *Alanus* de *Insulis* , *Anticlaudianus* dictus, item *Robertus Bestonus*, & *Gualterus Burley*, extremâ scilicet ætatis figlinæ senectâ. Tandem ultimâ Ludovici Bavari , Imperatoris æta-

ætate, & clariùs regnante Carolô IV., qui imperio admotus annô Christi MCCCXLVI. sedit ad clavum XXXI annis, studia humaniora, (quæ integra novem secula, & eò amplius, cum sordibus & squalore, ab Alarici tẽpore, conflictata fuerant) respirare cœperunt, & è tenebris suis iterum emergere. Signum ad benè sperandum in Italia extulêre *Franciscus Pertrarcha* & *Dantes Aldigerius* circa annum instauratæ salutis humanæ MCCCXL, voce, scriptis, ingeniô contra seculi barbariem masculè depugnantes; quos magnô animorum ardore secuti sunt *Hermicus Cajadus*, *Arius Barboza*, *&* *Acarzeres in Lusitanis*; *Sepulveda* & *Nebrisensis* in *Hispanis*; in *Britannis Lilius*, *Morus*; *Erasmus* & *Dorpius*

in

in *Batavis*; *Reuchlinus*, *Henrichmanus*, *Phil. Melanchton*, *Conr. Celtes*, *Eobanus Hessus* in *Germanis*; in *Gallis Budæus*, & *Salmonius Macrinus*, alii alibi; quorum, veluti fugientium litterarum Statorum curis, & industriâ effectum est, ut excitatiora passim ingenia laudabili æmulatione symbolã contulerint ad decus & majestatem pristinam litteris restituendam. Nec optato res caruit successu. Quamquam enim diu post *Petrarcham*, barbarum illud dictionis abominatæ cacoëthes linguis & calamis perfunctoriè doctorum insederit, nobiliores tamen animi eâ constantiâ, & alacritate ubique ingerenti se se stribligini opposuêre, ut magnis nunc passibus ad metam, ad redivivum Augusti & Vespasianorum seculũ con-

contendatur. Quidquid autē hactenus desiderari visum est, si vatum præsagio locus, temporum succedentium felicitas supplebit. Et prælusêre jam pridem, præter ingenia alia clarissima, duo fulgentissima litterarum humaniorum lumina, *Gaspar Scioppius*, & *Ger. Joannes Vossius*, quibus immortales gratias debet eruditus orbis ob navatam propagandis litteris operam, ob vigilatas in omnium emolumentum noctes, ob servatos civeis Latinos. Nè quid tamen in dispendium posteritatis dissimulemus, accidit iis, quod herbarnm noxiarum & sterilium hostibus accidere solet: dum infelix lolium eruncāt, ægrè, licet cautam manum, ita circumferunt innocenter, ut non aliquot tritici spicæ sentiant injuriam: ac-

ci-

cidit iis, quod ſolet medentibus; adflicto ægro venæ imperant ſectionem, ſed inhibere nequeunt, quò minus cum ſanguine corrupto ſincerum quiddã, incorruptũque ſimul erumpat. Enim verò aliis, atque aliis diſtracti curis viri ſine controverſia doctiſſimi, ea quandoq; vocabula barbaris, fœtoribuſq; adſcripſêre, quæ jam aureo Latinitatis ſeculô obſervãtur uſurpata, jam proximis, laudatiſque ſcriptoribus. Quæ ut ab intẽtato crimine aliquatenus vindicentur, Opuſculi ſequentis inſtitutum eſt. Hæc noſtra ſymbola Voſſium potiſſimùm attingit (de Scioppio uberiùs viderint alii,) cui ſi eruditiores, & otio affluentes ſuam adiiciant, ſpes eſt fore, ut paullatim antiqua linguæ Latinæ integritas reviviſcat.

F I N I S.

APPENDIX

De Lexicis Latinis, & Græcis.

I.

UT Cogitationum noſtrarum opuſculum mantiſſâ aliquâ creſcat; & mole, propter Soſiorum myſteria, nonnihil augeatur, rogatu plurium; etiam doctorum, adjicio hîc quædam ex Diſſertatione meâ ante hos viginti duos annos de Lexcis Latinis, Græciſque in publicum emiſsâ. Quæ licet auctiora jam, & locupletiora edere non eſſet difficile, ſeveriores tamen hodie Muſæ, & publicæ, quibus diſtingor, occupationes nè id quidem patiuntur. Interea evolvant, quibus va-

cat, eruditiſſimam illuſtris Viri, *Caroli du Freſne* præfationem, Gloſſario ejuſdem annexam, ut primorum Linguæ Latinæ Lexicographorum molimina intueantur; & criticam Diſſertationem *Phil. Iacobi Mauſſaci*, additam Lexico Harpocrationis, ut tentamenta Græcorum in hoc genere recognoſcant. Mihi hîc ſatis erit mea reguſtare; quibus tamen, ut comitatior veniam, adjungo ſpecimen lacunæ in Foro Romano ad literam C obſervatæ; cui ſimiles in quavis literâ hiatus oſtẽdere non eſſet arduum, niſi otium meum eſſet nimis negotioſum.

2. Notum igitur eſt ab aliquot inde ſeculis, inſignem liberalibus ſtudiis à Lexicis afferri fructum; ſed quò id notiùs, eò indignius quoque cenſendum, rem tantam nondum ulteriùs eſ-

provectam, nondum in istis fundiis tutum patere iter, hîc baris vocibus obstrepentibus, : omissis infinitis, istic ineptis nologiis decipientibus, alibi rpretatione vanâ lectorem lulum circumscribente. Inter nos Lexicographos Latinos teratur *Papias Vocabulista*, tor Catholici, cujus opus cir- nnum Christi MCCLXXXVI. lutum.& anno MCDLVI.Ve- s impressum: Sed hic Scrip- quàm copiosum tritico suo m insperserit, & temporum o, & *Nestor Novariensis* in to suo, secundum alphabeti, cat, ordinem digesto, & Ar- inæ, anno MDVII. excuso fa- ocet, *Catholici* & Ugotionis ia *ita appellat*, omnibus pro- iginis redarguens. Transeo mam Gemmarum *Werdenæ*,

Joannem de Januâ, Simonem Januensem, ut genio seculi rudiores, & multâ adhuc fæce squalidos, atque ad *Nicolaum Perottum* venio, Episcopum Sipontinum; cujus opus *Cornucopiæ* inscriptum, longè illustrius Argentina nobis dedit Anno MDVI.; & Venetiæ Anno MDXIII: accuratius. Ex cujus sudoribus utcunque *Ambrosius* ille, Comitis de Calepio filius, corpus Lexici sui Venetiis Anno MDIX. editi magnam partem concinnâsse existimetur, quod liberius *Coldingii* nostri, acerbius *Grosippi*, acerbissimum *Franc. Floridium* judicium, & censuram jam pridem sustinuit, tantum tamen abest, ob intentatam litem istam, manibus literatorum excussum fit, ut sæpe nitidiùs, & gloriosiùs positâ senectâ resurrexerit. Verùm enim vero, nè sic quidem, licet

to-

toties incudi redditus *Calepinus*, evitare potest censuram rigidiorem. Ut enim editiones cæteras taceam, de quibus *Rhodius* nostras Not. in Scribon. Largum ita: *Lexicon Ambrosii Calepini operâ cœptum, variis postea corruptelis deformatum*; ultima illa post seriam *Passeratii*, & *Ludovici de la Cerdâ* recognitionem Lugduni Anno MDCXLVII. procurata, *primò*, nihil minùs quàm absolutum Lexicon affert, ut quæ Foro Romano in multis cedat, nec illi satis perfecto; *secundò*, variis hinc inde vocibus barbaris redundat, nè veniam quidem sordibus præfata, magno juvẽtuti literatæ impedimento; *tertiò*, variè in quantitates syllabarum, contra quã frons Operis pollicetur, peccatum: alibi notæ, quibus dignosci more in pronunciando solent, omissæ;

alibi longæ correptæ, productæ breves. Atq; ut in transcursu id addam, parum admodum Lexicographis, quos ego hactenus viderim, omnibus fidei tribuẽdum, quod ad quantitates spectat, quippe sæpe suo, sæpe imprimentium Operarum vitio delinquentibus; paullo quidem tutiùs *Smetio*, sed nec illi satis tutò, ut jam depravatis codicibus decepto, jam præter spem tacito, jam in anologiam vocum obliquo; tutissimè *Glonero*, & monitorum *Lakei* retinentissimo *Lud. Cavallo*. Nam *Ricciolium* nè in eũdem cum exquisitioribus censum referam, licet iterum ad unguem Auctoris castigatum, adauctumque, non index ejus in culpâ est, sic satis accuratus, sed quod jam antè in *Prosodiâ Bononiensi* detestatus sum, vel corruptissimi codices, quibus tamquam

fun-

damentis quantitates ſuas ful-
firmatq;, vel parum fidelis o-
i typothetes.

Vidit *Calepini* maciem, &
mas *Robertus Stephanus*, vir ad
movendas bonas literas quaſi
is, qui decem eruditorum
ninum operâ, & ex Auctori-
optimis proſis, verſiſq; ex-
endi labore uſus *Theſaurum*
ua latinæ procudit; à *Cœlio*
me poſtea *Fori Romani* titulo,
Theodoſio Trebellio, titulo
rptuarii, ſuppreſſo veri Au-
s nomine, Orbi magnificè
ſitum;quem ad noſtrã quoq;
em gens docta amat, intue-
conſulit, tanquam ſtatuam
urialem. In hoc tamen tam
ro corpore, ut nec deeſſe
nt ſuas maculas Soli, nævi
m latent, nec ii parum de-
es; qui quò Paucioribus ha-

ctenus vel observati sunt, vel publicè attacti, hoc mihi erunt studiosiùs, liberiusq; in gratiam tyronum nominandi, excutiendi. Et quidem principiò, dum Auctores, quibus totũ ædificium innititur, forsan nõ optimè in perfectos, & imperfectos tribuit, inelegantibus & imperfectis, sed proficientibus. *Plautũ* & *Terentiũ* improvidè annumerat, perfectis & elegantissimis *Varronem*, *Sallustium*, *Catullum*, imperfectis autem & deficientibus *Columellam*, *Lucanum*, *Senecam*, *Tacitum*, *Plinium utrumque*, *Curtium*, *Quinctilianum*. *Secundò*, infinita desunt ad accuratam & absolutam Latinæ linguæ cognitionem necessaria: enimverò certum est, alios Auctores Latinos, vivo adhuc *Stephano*, publicatos, vel ab ipso perfunctoriè tantùm excussos, vel nè tentatos

qui-

quidem, alios, ex quo vivere desiit, in lucem prodiisse, aut planè novos; aut longè emendatiores, auctioresque. Utrumque ut demōstretur, produco *Fabulas Phædri* (quem cũ Augusti libertum fuisse constet, non Octauii putandum, sed Tiberii, id quod nomen & artes Sejani, quas leuiter perstringit, facilè persuaserint) item *Auctores finium regundorum Rigaltii*, *Declamationes Quinctiliani*, *Inscriptiones Antiquas Gruteri*, *Thesaurum rei Antiquariæ Hub. Goltzii*. *Antiquitates Romanas Boissardi*, *Romam subterraneam Bosii & Aringhi*, *Ampelium & Solinum Salmasii*, *Manili Scaligeri*, & *Joan. Biturigis*, *Aratèa Phænomena à Germanico Cæsare conscripta*; *Mythica & Astronomica Hygini*; *atque ut transeam Heroica Corippi Africani*, & *Commodiani Instructiones*,

ſiſto Cornelium Nepotem, Vellejum, Paterculum, Fragmenta Veterum Poetarum, Scribonium Largum, Cenſorinum, Serenum Sammonacum, Martianum Capellam, Gratium, Nemeſianum, Julium Obſequentem, Frontinum de Aquaductibus, Auſonium, Suetonium, Petronium, Juſtinum, Panegyricos XII. Florum, Apulejum, Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores varios, & alios denique quos longum erit recenſere. Agnoſces etiam, quos crebriùs laudat, non attentiſſimè perluſtratos eſſe; hinc nihil facilius, quàm demonſtrare ex *Catone, Hirtio, Perſio*, quædam tranſmiſſa; ex *Plinio, Cæſare, Vitruvio, Plauto, Tacito, Catullo, Senecâ*; multa ex *Gellio* & *Macrobio* plurima, & ea duntaxat vocabula; quòd ſi etiam ad loquendi formulas deſcendendum, jam ſe ubique maria oſtendent. Quæ

cum

m ita sint, non satis assequi pos-
n, quid in mentem venerit *Leo-*
ario Grimaldo, cùm admirari se
ibit tot, tantasque Linguæ La-
e in *Foro Romano* divitias, ita
m plenum copiæ cornu in eo
hesauro, omnibus locis ani-
lvertere, ut nihil addi posse,
supervacuum videatur. Pru-
tiùs longè *Robertus Constanti-*
, ut qui supplementum Lin-
Latinæ, anno MDLXXIII.
erit, quamquam nec illud ab
i parte beatum. Sed ad *Fo-*
nostrum; *tertiò* non multis
bo, quod apud *Mariangelum*
opus, varia in Editionibus,
us usus est *Robertus Stepha-*
oppidò esse mendosa, (capi-
tamen pestis) adjectiva pro
intivis, adverbiisque non
obtrudi, derivata suis primi-
non attexi, nec simplicibus
 com-

composita: sed id solùm adijciam, Auctorum sententias, phrasesque præsertim dubiæ significationis, rarò explicari, proinde ambiguū allegatorum sensum variis interpretationibus patere, immò lectorem in suspenso relinqui, unde varii lapsus, & fluctuationes.

4 Hunc ipsū *Rob. Stephani* Thesaurum, postea à *Mario Nizolio* emendatiùs impressū Venetiis *Phil. Tinghyus* Florentinus, demū Lugduni evulgavit anno MDLXXIII. locupletiorem, ut profitetur, & justis additamentis illustrē; sed si dicta attentè ad rem contuleris, pæne eundem, quē in Thesauro priori jam defectū, jam in interpretando sterilitatem observabis, quicquid etiā ex *Turnebo*, *Boccatio*, *Leoniceno*, *Vallâ*, *Gyraldo*, *Lábino*, *Pierio*, *Budæo*, *Glareano* &c. additū prætexat. Sequitur *Lexicon Trilingue*, tanquam filia

filia germana, cum additamentis *Frisii*, Argentorati excusum anno MDCXII; non inutile illud quidẽ iisdem tamen, quibus mater, vitis obnoxium, eoque majoribus, quò aridiora hîc omnia, & Auctorum nomina, suppresso Tractatu, libro, capite, negligentiùs adjecta. Certat tamen cum *Thesauro Decimatoris*, quem nobis Lipsiæ, anno MDCXV. commendavit, licet impari plerumque successu. *Primò* enim, floridior, & plenior succo est *Decimator*; *Secundò*, certiùs se munit auctoritatibus Veterum; *tertiò*, pluribus linguis loquitur; *quartò*, syllabarum quantitates *Decimator* rectiùs definit, quàm cæteri Lexicographi, & rarò sibi excidit. Ut ad *Basilii Fabri Sorani Thesaurum* eruditionis Scholasticę progrediamur, ab Auctore post XXXIV. annorum in-
do-

docendo labores, Erphordiæ anno MDLXXI., editum, emendatum, & postea ab *Aug. Buchnero* severiùs recognitum, atque si titulum audimus, infinitis accessionibus locupletatum, Lipsiæque evulgatum anno MDCLV., opus esse censemus non pœnitendæ diligentiæ, inprimis ob primitiva, & simplicia derivatis suis, compositisque felici conjugio annexa, & Critica non pauca consultò hinc inde permista: plurimum tamen abest ab eâ, quam in *Foro Romano* spectamus, perfectione: immensum, quantum à virtute consummati Lexici, *primò*, quòd plurima heic deficiant; *secundò*, quòd plurima, licet inveniantur, nullo tamen laudato Auctore, suspicionem barbarismi legentibus moveant; *tertiò*, quòd plurima barbara sine præmonitu, le-
ctori

ctori crudè obtrudantur; *quartò*, quòd in quantitatibus(quas frons Operis docet diligenter esse adnotatas)magna deprehendatur sinisteritas; adeo ut hac parte longè infra *Decimatorem* censeri mereatur; nec id tamen, opinor, ullâ *Buchneri*, illustris inter Germanos Philologi, culpâ, sed partim temporum, partim Typographorum. Tandem anno MDCLXXX. iterum prodiit hic *Thesaurus*, sed hic castigatior, & Criticis observationibus fœcundior, nec tamen ab objectis priùs criminibus prorsus immunis.

5. Quin & vicina Brema annò MDCXXIII., auxit Rempubl.litterariâLexico Philologico *Mart. Martini* docto sanè illo, & laboriosè collecto, munditiarum Latinæ Linguæ studiosis non inutili, ferreæ, & fictilis ætatis scriptori-

bus

bus enodandis accommodatissimo. Id interea non dissimulandum, Virum eruditum, dum in vocum origines apparatiùs inquirit, etiam barbararum, haud raró umbram pro Junone captare. Sed illud crimen hoc patientiùs ferendum, quò ipsi cum magno *Varrone* & *Verrio Flacco*, nepotum Augusti præceptore, quantis Viris! communius est, quos sive ignorantia, sive invidia, istuc impulit, ut in originibus vocum expediendis sæpe hallucinarentur. In *Thesauro Philoxeni à Vulcanio* edito, Archæologo *Spelmanni*, Amalteâ *Josephi Laurentii*, Lexico *Simonis Portii*, Dictionario *Ælii Antonii Nebrissensis*, Castello *Merkii*, multa quidem non contemnēda, quibus ut scriptorū Barbarizonton explanatores convenienter, & cum fructu uti pos-

possunt, certè carere sine insigni jacturâ potest castior illa Latina Lingua, idque tolerabiliùs,quàm *Nonio Marcello*, judicii, non diffiteor,imbecillimi scriptore, à *Bentino* etiam jam olim castigato, ob custodita tamen Fragmenta Veterum, quæ alibi frustra quæsieris, jure venerando. *Lubini Antiquario* multa antiqua desunt, multa *Laurenbergii*; junge utrumque, addito, si vacat, *Festo Pompeja*, non evirato illo *Pauli Diaconi*, sed *Scaligeriano*, & feliciùs inter priscorum, minusque usitatorum verborum horrores versaberis. Sed quid attinet ire per singula, & *Lucii Altensteigi*, *Fungeri*, *Plantini*, *Dasypodii*, *Susannæi*, *Mancinelli*, *Murmelii*, *Pyladis*, aliorum, in hanc rem scrinia excutere,hoc-est,farraginem quidem verborum ubique,quod animum satiet;quod con-

consummatum, quod ab errore tutum sit, rarò invenire.

6 Profectò, cùm tot hodie illustria numerentur Lycèa, cum tót ubique vivant eruditi, indignum pæne esset, si detrectarent, commendatione omni, & præconio dignissimum, si hac quoque parte publico, & bonis literis prodesse instituerent, atque id agere, ut accuratum tandem, & quod omne punctum ferret, Lexicon Latinum ederetur; idquod unius lustri cura affectum daret, si Academiæ aliquot symbolam cōferrent (quò illa *Cunæi* & *Pasoris* vota tendunt) partitâque inter se operâ, hic hunc, ille illum, alius alium Auctorem providè excuterent, nihil intactum relinquentes; præsertim si electo studiosorum in his sacris provectiorum numero provincia priùs commendaretur,

tur,

, locupletiſſimos in omnes Au-
res Latinos concinnandi indi-
, ex quibus poſtea attentè col-
s, ſollicitè digeſtis, ad juſtam
idem exploratis exquiſitiſſi-
m, & fructuoſiſſimum opus
urgeret, omnium, quicquid
que eſt, eruditorum ſapientum
is vel expetitum, vel expeten-
a, perpetuus in omnes Aucto-
commentarius, barbariei ever-
lum, certum in dubiis voci-
, incertis præteritis, ignotis
tribus, ſuſpectis phraſibus aſy-
, tuta quantitatum cynoſura,
mmaticorū velut Jupiter Sta-
paucis, verum & incorruptū
ile Forum, quò opere ritè ab-
o, nec opus in tot ſæpe ambi-
Grammaticorum placitis ac-
cere, nec *Conſtantinis*, *Zan-*
, *Voſſiis*, *Buchneris*, *Scioppiis*,
riis, *Giſaniis*, *Spelmannis*, *Lu-*
binis,

binis, *Laurembergiis*, qui rivulos tantū hactenus consectati sunt; tam anxie supplicare. Prostant quidem in varios Auctores laboriosi, frugiferique Indices, *Nizolii* & *Caroli Stephani* inCiceronem, (quem *Thesaurum Ciceronis* appellat, scriptum nobile, sed quod nec omnia, quæ ex *Cicerone* afferri poterant, complectitur, nec usquam ferè Ciceronianas voces, v. gr. diploma, dipondius, macrocolum,redemptor, schœnobaticus, Hispaniensis, stigmaticus, tyrannoctonus, &c. quod Lexicographi est, interpretatur) *Paræi* in *Plautum* & *Symmachum*; *Kockerti* in *Terentium*; *Hermolai Barbari* in *Plinium*; *Baldi Urbinatis* & *Jo. de Laet* in *Vitruvium*; *Bœcleri* in *Paterculum* & *Cornelium Nepotem*; *Freinshemii* in *Tacitum*, *Justinum*, *Florum*, *Curtium*; *Gonzali de Salas*

in

in *Petronium*, *Rhodii* in *Sribonium Largum*; *Erythræi*, in *Virgilium*; *Lævini Torrentii*, & de *Mares* in *Horatium*; *Josephi Langii in Martialem*, *Theodori Pulmanni* in *Lucanum*; inter *Passeratii* commentaria locuples in *Propertium*; *Tuscanellæ* in *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Gifanti in Lucretium*: *Pricæi* in *Apuleji Metamorphosin*, alterũ in alios; verùm enimverò, quia plerorumq; institutum fuit conspectiora potissimúm, & magis sententiosa decerpere, paucissimis ad omnes se minutias diffundentibus (neque enim vel *Parei* in *Plautum*, vel *Freinshemianus* ullus, vel *Pricæi* in Apulejum omnibus numeris absoluti indicis nomen sustinet, (nam omnes heic in trutinâ suspendere non vacat) haud aliàs lætiùs succederet, quàm si ab integro omnes boni Auctores, sed scru-

ſcrupuloſiſſimè emendati, caſtigatique ſed in quibus nihil temere mutandum poſtea, retexerentur; idquod licet arduum videatur, apertum tamen, vaſtiſſima olim flumina in tenuiſſimos & vadoſos alveos, comite diuturno labore, fuiſſe derivata.

7. Lexica Græca ſuos etiam patiuntur manes, utcunque in hac paleſtrâ & laborioſè, & laudabiliter ſe exercuerint tam inter antiquos multi, quàm inter recentiores non pauci. *Helladii*, qui, ſi *Suidæ* fides imperante Theodoſio juniore floruit, Lexicon, ſecundum literarum ſeriem digeſtum, ex Oratoribus & Poëtis collectum vaſtæ molis opus in ſeptem tributum volumina legit olim *Photius*; cui lectum itidem ſimilis argumenti ſcriptum *Pollionis* & *Juliani*; nec minùs

ùs *Philostrati Tyrii*, *Diodori*, &
isii Alicarnassei. Spectatus &
idem scenâ *Pausanias* Lexici
ci faber, & *Dorotheus* de
ibus exterorum more usurpa-
andem & *Mœris* sive *Mœridis*
cista. Laudantur, & *Suida*
nomine *Eudemus* Rhetor, *Ca-*
Siculus, *Palamedes*, *Lærtio*
orantur *Zenonis* & *Posidonii*
exeon libri; *Hesychio* in epist.
ilogium *Diogenianus*, tanquā
iis artifex, opere, quod Pe-
openisas inscripsit. Sed de istis
oribus nemo nostrûm securè
lverit, cùm magnam partem
itercidérint temporum inju-
ut cum blattis adhuc, tine-
inglorii luctentur, aut iis,
fatum benignius conserva-
mmisti gloriam & nomen,
aliis resignent. Id constat,
ium, diligentissimum Scrip-
torem

torem, quem hodieque terimus, ex *Diogeniano*, *Appione*, *Heliodoro*, *Aristarcho*, plurima in Lexicon suum transtulisse, & ex *Helladio* *Suidam*. Quicquid tamen sive de suo, sive alieno, publico largiti sunt, Lexicon integrum, suisque numeris absolutum nec dum procuderunt. Laudati quidem jure, meritoque hodie *Hesychii*, *Phavorini*, *Suidæ*, *Harpocrationis*, *Pollucis*, *Stephani Bizantini*, *Ammonii*, *Eustachii*, *Corinthi*, *Phrinichi*, *Moscopuli*, *Thomæ Magistri*, *Budæi*, *Tusani*, *Gesneri*, *Roberti Constantini*, *Scapulæ*, (qui potissima sua ex *H. Stephano* hausit) *Sylburgii*, *Simonis Portii*, *Martinii*, *Schrevelii*, aliorumque in hoc genere labores, ut præteream Lexicon Homericum *Coulonii*, Hippocraticum *Erotiani* & *Galeni*, Hesiodeũ *Pasoris*, scripta luculenta: nemo tamen merito

suo

suo laudatior *Henrico Stephano*, cujus *Græcæ Linguæ Thesaurus* pæne instar omnium est solidus, cultus, locuples; in quo nisi tria desiderarentur (*primò*, quòd exstent non pauca in iis, qui omniū manibus versantur, Auctoribus hîc omissa; *secundò*, quòd multa id temporis Græcorum monumenta, hodie in publico notissima, nondum evulgata essent; *tertiò*, quòd voces plurimæ plures admittant significationes, quàm quæ in illo Thesauro signatæ sūt) jam pervenisset ille Lexicographorum Græcorū labor ad usq; suos umbilicos. Vidit hanc lacunam in scripto suo *Henricus Stephanus*, & in Præfatione eius ingenuè idem professus est. Et verò quantillum est in *H. Stephani* opere, ex illis vastis, sed eruditissimis scriptoribus, *Aristotele*,

Platone, *Xenophonte*, *Demosthene*, *Thucydide*, *Evripide*, *Plutarcho*, *Galeno*, &c. In uno *Epicteto*, & *Simplicio* plurimas voces obſervavit jam pridem vir in hac palæſtrâ verſatiſſimus *Simon Ertmänus*, H. Stephano vel non attactas, vel ab eodem auctoritate nullâ confirmatas. Sed & hæc, quæ ſequuntur, Opera, *H. Stephano* intẽtata ſunt, *Cointus Smyrnæus*, *Apollonii Rhodii* Argonautica, *Oppiani* Cynegetica, *Aſtráſſychi* oneirocriticon, *Demetrii Conſtantinopolitani* opus de re Accipitrariâ, *Heliodori* æthiopica, *Rhodantis* & *Doſiclis* Amorum libri, *Theodori Metochytæ* de Hiſtoriâ Romana, *Salluſtius* de Diis & mundo, & alii.

Tandem ſequitur ſpecimen Indicis addendorum ad *Fori Romani* literam C, ut ex hoc ungue

Lector

Lector de reliquo ejusdem Thesauri defectu queat judicare.

Cabatores, *Inscript. Antiqu. Grut.*
Cacabulus, diminutivum à cacabus, *Apicius.*
Cachecticus, *Plinius. cachectus* in F.R. adest, sed oportet legi *cachecticus.*
Cachinnabilis, *Apulejus,*
Cacozelum, i, *Asconius Pedianus.*
Caducitor, *Arnobius.*
Cęditius gravis, *Juvenalis.*
Cęliolus, *Varro.*
Cæpitio, *Arnobius.*
Cęremonialis, *Arnobius.*
Cæsariatus, *Apulejus.*
Cæsissimus, *Varro.*
Calamariatheca, *Suetonius.*
Calamitosissimus, *Seneca.*
Calathianus, a, *Plinius.*
Calatinus, *Cicero,*
Calcatura, æ, *Vitruvius.*

Caldiger, *Fragm. Petronii.*

Caldissimus, *Varro.*

Calefactorius, *Theod.Medic.Antiq.*

Caldaria maltha, *Palladius.*

Callais, aidis, gemma, *Plinius.*

Callenter, curiosus, *Apulejus.*

Callidissimè, *Quinctilianus*, *Corn. Nepos.*

Callidula fraus, *Arnobius.*

Callosior, *Plinius*, *Apicius.*

Calorificum oleum, *Gellius.*

Calumniosè, *Aggenus Urbicus.*

Calumniosus, *Apulejus*, *Nazarius*, *Paulus Ictus*, *Arnobius.*

Cameratio, i. e. fornix, *Æl.Spartianus.*

Camerinum conditum, *Apicius.*

Camillum, in ædificiis, *Vitruvius.*

Campanianus, *Inscript. Antiqu. Grutéri.*

Campicursio, exercitium militare, *Vegetius.*

Campidoctor, *Lampridius*, *Vegetius.*

tius,Marcellinus,Inscr.Gruteri.
Campi nota, repulsa ab officio, *Valer. Max.*
Canabula, *Auctores Fin. regund. Rigaltii.*
Canâcheni, *Arnobius.*
Canacius, *Apulejus.*
Canaliculatim, *Plinius.*
Cãcellarius,*Vopiscus,Inscr.Gruteri.*
Cancellatio, *Auctores Fin.regund. Rigaltii:*
Candentia, æ, *Vitruvius.*
Candentissimum sydus, *Solinus.*
Candidissimus, *Seneca, Plinius, Columella.*
Candidulè, *Arnobius.*
Candificus, *Apulejus.*
Cannabetum, i. e. locus Cannabe consitus: *Inscriptio Antiqua Latina apud Pareum.*
Cannula, æ, *Martian. Capella.*
Canonica Musicæ ratio,*Vitruvius.*
Canonicus titulus, *Inscr. Antiqu. Gruteri.*

Canosus, i. e. canus, *Vopiscus.*
Cantharulus, diminut. à cantharus, *Arnobius.*
Capelliana ruta, *Martialis.*
Capitaneæ literæ, *Auctores Fin. regund. Rigaltii.*
Capreolatim, *Apulejus.*
Caproneis ante ventuli crines, *Apulejus.*
Capsus rhedæ, *Vitruvius.*
Captatrix verisimilium, *Apulei.*
Captensuli ludi, *Martian, Capella.*
Cardinalis scapus, *Vitruvius.*
Carduetum, i. e. locus carduis frequens. *Palladius.*
Carendus, a, à careo, *Ovidius.*
Carenum vinum, *Apicius.*
Cariosior, à cariosus, *Varro.*
Carnalis, *Minutius Felix.*
Carneadè divisio, *Cicero.*
Carnosior, *Plinius.*
Carpisculū, genus calcei, *Vopiscus.*
Corrobalista, æ. *Vegetius.*

Cascè

Cascè loqui, *Gellius.*
Casilienses, *Cicero.*
Cassè tempus teritur, *Livius.*
Castigatè, *Seneca.*
Castigatior moribus, *Marcellinus.*
Castigatissima disciplina, *Gellius.*
Castigatiùs, *Macrobius,Marcellinus*
Castimoniale liquamen, *Palladius.*
Castiora muliebria, *Tacitus.*
Castratoria ferramenta, *Palladius.*
Castrensiarius negotiator, *Inscr: Antiqv. Gruteri.*
Casualiter, *Fulgentius, Sidonius,*
Catagelasius, *Plautus,*
Cataplus Niliacus, *Martialis.*
Cataractria, *Plautus.*
Catatechnos, *Vitruvius.*
Catheri, lineæ quædam, *Vitruvius.*
Catillamenta: *Arnobius.*
Catarogare, *Petronius.*
Catulina Minerva, *Plinius.*
Catulliana basis, *Martialis.*
Cavatio major, *Varro.*

Caveus, vel caucus, i. e. cavum, vas, *Spartianus, Trebellius, Pollio.*
Cavillatrix, *Quinctilianus.*
Causatio (Tinghyus agnoscit non *For. Romanum*) *Palladius*, *Gellius.*
Causatiùs (Tinghyus agnoscit, non *For. Romanum*) *Plinius.*
Causativum litis, *Martian. Capella.*
Cautissima virgo, *Mart. Capella.*
Cecaumani fomites, *Mart. Capella.*
Cecinnianus, *Martianus Capella*,
Cidreum oleum, *Vitruvius*,
Celebrabilis. *Marcellinus.*
Celebratior usus (Tinghyus agnoscit, sed non *For. Romanum*) *Ovid. Tacitus, Plinius, Sueton.*
Celator, i.e. qui abscobdit, *Lucan.*
Cellatio, onis, *Fragm. Petronii.*
Cellio, i. e. cellarius, *Gruter. Inscript. Antiqu.*
Celsinianus procellus, *Apicius*,
Celsitudo (*Tinghyus* agnoscit, sed

sed non *For. Roman.*) *Vell. Paterculus, Marcellinus Mart. Capella.*

Cenotaphium, *Hygini Fabula.*

Censitio, *Spartianus.*

Censitus; a, *Frontinus.*

Centauromachia, *Plautus.*

Centuriatio, *Auctores Fin. regund. Rigaltii.*

Cerasina tunica, *Fragm. Petronii.*

Cerastibula. *Plautus.*

Cerataulæ, i. e. cornices, *Vopisc.*

Ceraula, *Apulejus.*

Cercobulus, *Plautus.*

Ceronicus, *Plautus.*

Cernentia, æ, visus, *Mart. Capella.*

Cernuere(Tinghyus agnoscit, non *For. Romanum*, *Seneca, Varro, Apulejus.*

Cernulare. *Seneca.*

Cerotarius, *Theodorus Med.*

Cerritulus, *Martian. Capella.*

Cespitius murus, *Capitolinus.*

Chalybeïa massa, *Ovidius*.
Chamæplatanus, P*linius*.
Charaxare, A*picius*.
Chelonireplum, *Vitruvius*.
Chiramaxium, P*etronius*.
Choragiarius, *Antiq.Inscr.Gruteri*.
Chordacista, *Mart. Capella*.
Chorium, in ædificiis, *Vitruvius*,
Chrestologus, *Jul.Capitolinus*.
Christianus, *Tacitus*, *Minutius Felix*.
Chroma (Tinghyus & *For. Rom* cũ auctoritate Budæi) *Vitru*.
Chromaticæ, es, *Vitruvius*.
Chrysale, P*lautus*.
Chrysographatum scutum, *Trebel. Pollio*.
Chryso opus est, P*lautus*.
Cibalis fistula, *Lactantius*.
Cibatio. onis, *Solinus*.
Cicimandrum, P*lautus*.
Ciliciarius. *Antiq.Inscript. Gruteri*.
Cinæda frons, *Martialis*.

Ci-

Cinedulus, *Macrobius.*
Cinctorium, ii, *Pomponius Mela.*
Cinctura fluxior, *Suetonius.*
Cinorosus, *Apulejus.*
Circinatio, *Vitruvius.*
Circumactio æquabilis, *Gellius, Martian. Capella.*
Circumamictus turbulento somnio, *Petronius.*
Circumcalcare codicem seminis *Columella.*
Circumductionibus uti plur.num. (nam singularis adest in For. Rom.) *Vitruvius.*
Circumerrat lateri turba, *Seneca,*
Circumferaneum mendicabulum, *Apulejus.*
Circumferentia sediliũ, *Apulejus.*
Circumflexionis obliquæ circulus, *Macrobius.*
Circumfractus turbo, *Marcellinus.*
Circumfremunt aves nidos inanes, *Seneca.*

circumhiſcere, *Arnobius.*
circuminvolvere, *Vitruvius.*
circumitus Siciliæ oſtendere, *Seneca.*
circumlabentis Olympi proſpectus, *Lucanus.*
circumlatrabant virum injuriis, *Marcellinus Lactan. Symmach.*
circumlavat Nilum Ægyptus, *Hygini Fabulæ.*
circumlucens, *Seneca.*
circummurana bella, *Marcellinus.*
circumnectare, *Seneca.*
circumplaudere, *Ovidius.*
circumſilio, *Juvenalis.*
circumſiſtor, circumſiſtitur. *Apul.*
circumſona canum turba, *Ovidius*
circumſpargo, *Apicius.*
circumſpecte, *Seneca.*
circumſpectiſſimus, *Valer. Max.*
circumſpiraculum, *Lucretius.*
circumſtrepitus, *Apulejus.*
circumſurgo, *Tacitus.*

circumtueri, *Apulejus.*
circumventor, *Lampridius.*
cicumversio manûs, *Quinctilian.*
circumvolitabilis aër, *Martianus Capella.*
citatissimus, *Quinctilianus.*
citreago, inis, *Palladius.*
citulè diminut. à citò, *Apulejus.*
civilissimus, *Spartianus.*
civiliùs precari, *Apulejus.*
civitatium, gen. plur. *Livius.*
civitatula, *Seneca, Apulejus.*
clamosè dicere, *Quintilianus.*
clanculò, *Macrobius, Apulejus.*
clausò custodire, *Columella.*
clavularis cursus. *Marcellinus.*
clementissimè, *Seneca, Gellius.*
clementiùs quatere, *Seneca.*
clientium, gen. plur. *Macrobius.*
clientula, *Asconius Pedianus.*
clinata est ungula, clinato corpore, *Cicero in Arat. phenom.*
cloacula, *Lampridius.*

clo-

clostellum, *Petronius.*
cludus, i. e. claudus, *Plautus.*
clueor, *Varronis Fragment.*
cluis, em, *Martian. Capella*
clunaria lanx, *Petronii fragm.*
clunifera mula, *Inscript. Anti qu. Gruteri.*
Cluniger, *Inscript. Gruteri spur.*
Clurim pecus, de bestiis, *Arnob.*
Clurinum pecus, i. e. puella deformis, *Plautus.*
Clybanatus, *Inscript. Gruteri spur.*
Cnissæ, arum, *Arnobius.*
Coacervatim, *Apulejus.*
Coactiliarius, vel coctiliarius *Jul. Capitolinus, & Inscr. Antiqu. Gruteri.*
Coactius, *Gellius, Marcell. Macrob. Tertullianus.*
Coadjutor, *Inscript. Gruteri spur.*
Coagito, as, *Apicius.*
Coareo, vel coaresco, *Vitruvius.*
Coassolet, *Plautus.*

coau-

Coauctio annonæ, *Cicero.*
Cocio, onis, *Gellius, Plautus.*
Cocceus, & coccinus Adject. *Lampridius.*
Coctana, orum, *Martialis.*
Codax, vel cnoadas ferreus, *Vitru.*
Codicula, æ, *Apicius.*
Cœlestissimus, *Paterculus.*
Cœlestius, à cœlestis, *Seneca.*
Cœligenæ stellæ, *Apulejus.*
Cœlitem in aulā convocari. *Mart. Capella.*
Cœlites potentiæ, *Arnobius.*
Cœlitus, *Marcellinus, Lactantius.*
Coëmendatus, *Arnobius.*
Coëmptor, oris, *Juvenalis.*
Cœnitari, *Macrobius.*
Coëpulonus tuus, *Plautus.*
Cogitabundus, *Gellius*, *Gruteri Inscript. Antiqu.*
Cogitatu opus est ingenij, *Vitruv.*
Cohærenter, *Marcellinus.*
Coherentiùs, *Gellius.*

Cohibiliter, *Apulejus.*
Cohibiliùs ſcribere, *Apulejus.*
Cohumidare genas, *Apulejus.*
Coimbibere, *Arnobius.*
Coinquinatius, *Arnobius.*
Coinquinatus , *Seneca.*
Collatero, as. *Martian. Capella.*
Collactius, *Gruteri Inſcript. Antiq. & Hygini Fabulæ.*
collectaculum, *Auctores Fin. regun. Rigaltii.*
collegialis ſices, *Inſcript. Antiqu. Gruteri.*
collectior , *Apulejus*, *Calpurnius, Flaccus.*
collemata, *Martian. Capella.*
colliculus, *Apulejus.*
collineatus, *Apulejus.*
colliniatus, *Martian. Capella.*
colluctator, *Lactantius.*
collurcinatio, *Apulejus.*
colorabilis, *Martian. Capella.*
coloratè, *Quintilianus.*

co-

coloreus, *Vopiscus.*
colossa statua *Lampridius.*
colosseros, i.e. oppidò magnus, instar colossi, *Suetonius.*
columbatur, *Seneca.*
comatoria acus, *Petronius.*
combinare, *Sidonius.*
combullio, *Apicius.*
combustura, æ, *Apicius.*
comicè, *Seneca.*
comissatio, *Seneca.*
comissimus, *Apulejus. Suetonius.*
comitantia, æ, *Jul. Firmicus.*
comitiare, *Varro.*
comitiva dignitas, *Vegetius.*
commanipularis, *Tacitus*, *Inscr. Antiq. Gruteri.*
commanipulatio, *Spartianus.*
commanipulus, *Inscr. Ant. Gruteri.*
commarcuit, *Marcellinus.*
commeabilis, *Arnobius.*
commeletando, *Hygini Fabulæ.*
commendator, *Vopiscus.*

com-

commendatorius, *Sidonius.*
commentans, *Plinius.*
commentandum, *Fenestella,*
commentator, *Solinus.*
commentiri, *Apulejus.*
commigratio, *Seneca.*
commilito, onis, *Apulejus, Cicero.*
comminiſco, *Apulejus*
comminxit, *Horatius.*
commiſerandum, *Quinctilianus.*
cõmodiſſimus, *Columell. Marcellin.*
commoditer, *Inſcr. Gruteri, Spur.*
commodulatio, *Vitruvius.*
commonitorium, *Marcellinus, Sidonius.*
commorſicans, tis, *Apulejus.*
commundare, *Columella.*
communicarius dies, *Feſtus.*
communicatores, *Arnobius.*
communicatus, ûs, *Apulejus.*
communitio, *Cicero.*
comœdus, a, comœdanatio, *Juv.*
compaciſci, *Plautus.*

com-

compactura, æ, *Vitruvius.*
compaginare, *Frontinus, Marcell.*
comparativè, *Gellius.*
comparatus, ûs, *Vitruvius.*
comparili ratione, *Arnobius.*
compastor, *Hygini Fabulæ.*
compavitus, a, *Apulejus.*
compendiaria absolutè positum, *Varro.*
comperendini dies, *Macrobius.*
compertè, *Gellius.*
compertius, *Gellius.*
competentissimè, *Apulejus.*
complanator, oris, *Apulejus.*
complexatus, passivè, *Apulejus.*
complexiva conjunctio, *Martianus Capella.*
complices, *Sidonius.*
compluscu è, *Gellius.*
comportatio, *Vitruvius.*
comportionalis, *Aggenus Urbicus.*
competentia, *Apulejus.*
compotire aliquem voti, *Apulejus.*
com-

comprehendibilis, *Cicero.* Ita legit *Parëus.*

comptè, *Gellius.*

comptior, *Tacitus, Marcellinus.*

comptiùs, *Gellius.*

compulsamentum, *Fulgentius.*

compulsor, *Marcellinus.*

compurgo, *Plinius.*

computatores, *Seneca.*

conatio, *Seneca.*

concagatum catillum, *Fragmen. Petronii.* Alii concacat.

concatenari, *Lactantius.*

concatenatus, *Minutius. Felix.*

concatervatus, *Marcellinus.*

conceptissia verba, *Petronius.*

concertator, *Tacitus*

conchicla, æ, *Apicius.*

conchula, diminut. à conchà *Val. Max.*

concinentia, æ, *Macrobius, Martian. Capella.*

concinnaticia mensa, *Apulejus.*

con-

conciuniter, *Gellius.*
concionaria oratio, *Marcellinus,* *Cicero.*
concitamentum, *Seneca.*
concitatè, *Columella, Quintilianus.*
concitatissimè, *Lactantius.*
concitaticius, *Seneca, Quintilianus.*
concivis, *Frontinus.*
conclusior, locus, *Hyginus*
conclusura, æ, *Vitruvius.*
concolora, *Martianus Capella.*
concomitari, *Plautus.*
concorporalis, *Marcellinus.*
concrispare se, *Vitruvius.*
concrispatus, a, *Vitruvius.*
concrustatus, *Marcellinus.*
concubitio, *Jul. Hyginus.*
concucurri, *Varro.*
concursatoria pugna, *Marcellinus;*
concurvare, *Macrobius.*
concussior, à concussus, *Martian. Capella.*
cődemnatio (*For. Rom.* citat tantũ *Vlpia-*

Vlpianum) Asconius Pedianus.
conditrix, *Macrobius*, Apul. *Lactan.*
confabulatio, *Symmachus.*
confamulantes, *Macrobius.*
confarreaturus, Apulejus.
confectrix, *Ciceronis Fragm. Lact.*
confectuarius, *Inscript. Ant. Grut.*
confertiùs invadere, Marcellinus.
confinitimus, *Gellius.*
confixilis machina, Apulejus.
confluctuare, Apulejus.
confluentia, æ, *Macrobius.*
confluvium, *Varro.*
confœderandus, *Tertullianus.*
confortare, *Lactantius.*
confricata membra, *Plinius, Varro, Vitruvius.*
confusanea doctrina, *Gellius.*
confusissimus mos, *Suetonius.*
congestè, *Jul. Capitolinus.*
congregator, *Arnobius.*
congruentissimus, Apulejus,
congruentius, Adject. *Lactantius.*
con-

congruentius Adverb. *Martian. Capella*, Minutius Felix.

conjectanea, orum. *Gellius*.

conjectata potentia, *Apulejus*.

conjectatoria argumenta, *Gellius*.

conjecturaliter, *Frontinus*, Aggenus *Vrbicus*.

conjuga i. e. conjux *Apulejus*.

conisterium, *Vitruvius*.

conlationē reddere, *Inscript. Ant. Gruteri*.

conlatitium æs, *Marcellinus*.

conlecta, cupido, *Lucretius*.

conlectaneorum liber, *Gellius*.

conlevare, *Seneca*.

conlibitum est mihi, *Plautus*.

conlimititia, orum, *Marcellinus*.

connexè dicere, *Martian. Capella*.

connectius, vel connexius, *Lucret*.

conniventia, *Asconius Pedianus*.

conquæstor, *Varro*.

conrepere, *Lucretius*.

conripere, *Lucretius*.

con-

conſcriptor, *Quinctilianus*, Arnob.
conſentanee, *Lactantius.*
conſentitur, *Tacitus.*
conſervula, *Seneca.*
conſectaneum eſt, *Arnobius.*
conſeſſio, onis, *Martian. Capella.*
conſequia, æ, *Apulejus.*
conſideranter, *Val.Max.Palladius.*
conſideratiùs, *Tacitus*, *Seneca.*
conſignatiùs, *Gellius.*
conſignantiſſimè, *Gellius.*
conſiliaria anima, *Apulejus.*
conſiliatrix, *Apulejus.*
conſimiliter, *Arnobius.*
conſipere, *Gellius*, *Seneca.*
conſiſtorium, *Marcellus*, *Martian Capella*, *Tertullianus*, *Inſcr Antiq. Gruteri.*
conſociatim. *Marcellinus.*
conſolida germanitas, *Arnobius*
conſonantia, *Vitruvius.*
conſonantiſſimè, *Vitruvius.*
conſonè clamitare, *Apulejus.*

con-

onſortales lineæ, *Frontinus.*
onſpicabilis; *Martianus Capella.*
onſpiratiùs ad arma concurrere, *Juſtinus.*
onſtellatus baltheus, *Capitolin. & Jul. Hygin.*
onſtipatio, *Vopiſcus*, *Marcellinus.*
onſtremus, vel coſtremus, *Frag. Petronii.*
nſtrictio, *Palladius.*
nſtrictius, or, *Plinius.*
nſuavio, are, *Apulejus.*
nſubſido, is, *Minutius Felix.*
nſuetè, *Marcellinus.*
nſultatorius, *Macrobius.*
nſultiſſimè, *Capitolinus.*
nſultiùs, *Tacitus*, *Marcellinus.*
nſummator, *Inſcr. Antiq. Gruteri.*
nſumptim, *Mſſ. Antiq. Biblioth. Vaticana.*
nſurrectũ eſt in plauſus, *Phædr.*
tabefacio, *Plautus.*
tatus, i. e, contis armatus, *Vegetius.*

F con-

contempero, *Apicius.*
contemplabilis, *Marcellinus.*
contemplabiliter, *Marcellinus.*
contemporaneus, *Gellius.*
contemptibilior, *Lampridius.*
contemptibilius, *Porcius Latro.*
contentior, *Marcellinus.*
contentissimâ voce clamare. *Apul.*
conterminare, *Marcellinus.*
contigerìtis, *Ovidius.*
contiguè, *Martian. Capella.*
contogatus, *Marcellinus.*
contractabilis, vel contrectabilis, *Lactantius.*
contractare, *Seneca.*
contractiùs subitare *Seneca.*
contradictor, *Martian. Capella.*
contraire. *Tacitus.*
contrariò, *Cor. Nep. Tertull. Vitr.*
contremulus, *Varro.*
contritio, *Lactantius.*
controversialis, *Aggenus, Urbicus, Frontinus, Sidonius.*

con-

umacior vultus, *Seneca.*
umacissimus, *Seneca.*
umaciùs, *Tacitus.*
umeliosiùs, *Justinus*, *Seneca*, *Arnobius.*
umiæ, arum, *Martian. Capella.*
urmalis, *Marcellinus.*
urmare, *Marcellinus.*
allatus, a, *Gellius.*
ariare. *Apulejus.*
enustare, *Martian. Capella.*
ertibilis, *Apulejus.*
itiolum, *Lampridius.*
olutare, *Seneca.*
olutatus, *Seneca.*
omere āliquem, *Juvenalis.*
ertorium, *Vegetius.*
dia. *Apicius.*
osiùs, *Plinius.*
latus, ûs, ui, *Arnobius.*
inaris culter, *Varro,*
icula, æ, *Palladius.*
ndratum, *Apicius.*

corinthiarius, *Suetonius.*
corniculans luna, *Solinus.*
cornicularius. *Valer. Max.*
corniculata luna, *Apulejus.*
coronamen, *Apulejus.*
corporatores *Fulv. Ursin. de Famil. Rom. in Inscr.*
correctura, *Aurel. Victor.*
correptiones dierum, *Vitruvius.*
correptiùs exit syllaba, *Ovidius.*
corroboramentum, *Lactantius.*
corruptissimè, *Seneca.*
corsæ, arum, in ædificiis, *Vitruv.*
cortinula *Marcellinus.*
corvitare. i. e. corvorum more ingurgitare, *Plautus.*
coruscamen, *Apulejus.*
coruscatio, *Solinus, Mar.* Capella.
corusciferum cœlum, *Mart.* Capell.
corymbiatus, *Trebellius Pollio.*
conthurnarius stylus, *Marcellinus*
cortificare, *Apulejus.*
crassare, i. *Apulejus.*

ſſatus aër, *Marcellinus.*
briter, *Vitruvius*, *Apulejus.*
buerat rumor, *Apulejus.*
nentum., *Varro.*
pita Majeſtas, *Lactantius.*
ſcentia, æ, *Vitruvius.*
:aria ars , *Ant. Inſcrip. Gruteri.*
taria taberna, *Varro.*
ellatus, a, *Palladius*, *Apicius.*
ninator,oris, *Tacitus*, *Lactant.*
ninoſiſſime, *Suetonius.*
ninoſiſſimus, *Suetonius.*
bolium,*Iſcr.An.Grut.*, *Firmic.*
pitudo, *Arnobius.*
cale, es, *Ovidius.*
matarica, æ , *Frag. Petronii.*
ciarius, *Apul.*, *Flac. Petronius*
ciator, oris, *Arnobius.*
diſſimus, *Suetonius.*
entè,*Juſtinus* , *Quinctil.*,*Lucan.*
entèr, *Apulejus.*
entiſſimus,*Paterc.Quinctil.*Alii.
rifragus, a , *Plautus.*

crurumfragium, *Apulejus.*
cruſtumerinus, *Varro.*
cubatio, *Varro.*
cubicus, a, *Vitruvius.*
cubitiſſim, *Plautus.*
cubitoria veſtimenta, *Petronius.*
cucutium, ii,, *Trebellius* Pollio.
cujavis, *Apulejus.*
culpabilis, *Apulejus*, *Arnobius.*
cuminatum, *Apicius.*
cuntanctiùs, *Tacit.*, *Val.* Max. *Apul.*
cunctim. *Apulejus.*
cunicularıæ inſulæ, Mart. *Capella.*
cupella, æ, A*picius.*
cupidius, Adject. *Seneca.*
curatiſſimæ preces. *Tacitus.*
curionalis, *Inſcr.* Ant. *Gruteri.*
curioſiſſimè, MSS. A*ntiq.* *Bibl.* *Vatic.*
curioſiſſimus, M*acrob.*, *Jul.* *Capitol*:
curioſulus, *Apulejus.*
currulis rabies, A*puleius.*
cuſtodela, A*pulejus.*
cuſtodiarius, *Inſcrit.* Ant. *Gruteri.*

cy-

:lëius, a, *Ovidius.*
ca soliditas, M*artian.Capella.*
adatus, *Suetonius.*
›nea pharetra, *Ovidius.*
ıëius heros, *Vitruvius.*
atium, in ædificiis, *Vitruvius*
›aliſtria, *Petronius.*
ſuris, idos, *Cæſar Germanicus..*
r his Canonicus, Carenus, ce-
›hium, coagito, coccinus,
tivum, commendator, con-
ium, contemptibilis, crucia-
cuſtodela *in Foro Romano ad-*
ıuidem, ſed nullâ Veterũ ſcrip-
ı auctoritate confirmantur; cõ-
'e, conſonantia, contempo-
ıs, crementum, *roborantur*
·itate Sipontini, *hoc eſt, pro-*
lum etiam nullâ; coloreus *au-*
ate Vallæ; circumnecto, *La-*
i; cataplus, condemnatio,
mptibilis, *Vlpiani*; conni-
a *ſolius* C. *cùm liceret teſti-*
moniis

moniis luculentis illa defendere Reliquorum vocabulorum nonnulla, sed pauca, observata sunt Tynghio; nonnulla Roberto Constantino *in supplemento Linguæ Latinæ; nonnulla* Laurenbergio *in Antiquario; pauca* Martinio *&* Buchneri Sorano; *varia omnino diligentissimo* Georgio König.in Gazophylac.Latininitatis; *sed longè plura ex lectione Auctorum à me adjecta esse notabunt, qui scriptum hoc meum cum cæterorum monumentis contenderint.*

FINIS.

OLAI BORRICHII ANALECTA

AD COGITATIONES

DE

LINGVA LATINA.



PANORMI,

Typis, & Expensis MICHAELIS COSTANZO. M.DCCVI.

Impr.
Sidoti V. G.

Impr.
De Vgo Præſ.

CANDIDO,

& Cordato Lectori.



Vgustus Cæsar olim uxorem aversabatur, ut minùs castam, quia pluribus viris obnoxia ferebatur; ego Latinam Linguam pluribus viris obnoxiam esse optàrim, ut castior, & innocentior evadat: sed viris providis, & circumspectis, qui in Dominà non statim meretricios colores, & ascititia pigmenta interpretantur, si amoeniorem paullò in illa cultum, sibi non antè in Latio spectatum observent; qui

malunt integritatem ejus, quãdiu, salvâ veritate licet, tueri, quàm fimbrias ejusdem germanas, & ornamenta matronalia in culpam frustra convertere. Itaq; qui cœpi in Cogitationibus *meis jam antè publico communicatis vindicare non pauca, Illustri* Vossio, *ut novitatis vitiosæ, ut barbarismi suspecta, non desino in hoc opusculo eandem, quod dicitur, tundere incudem, & non modò in vindiciis illis uberiùs explicandis, firmandisq; persistere, sed & de novo multa ab aliis Viris* Clarissi*mis obelo confixa, atq; planè condemnata in libertatem iterum asserere. In quo negotio, li-*

cet

cet non rarò ex provocatione in harenam descendam, nihil asperius mihi patior excidere, memor humanitatis illius, quā humaniores literæ etiam in diversitate sententiarum à nobis meritò requirunt; cujus si obliviscatur subinde alius, nostrum erit inhumanitatis illius non amplius recordari. Sed patet janua; cui vacat, ingrediatur, ut videat, num & hic Dii habitent.

ANALECTA

Ad Cogitationes De Lingua Latina

I.

QVò plures hodie videmus Scriptorum latinorum recentium genio ſuo obſequi, hoc eſt, barbariem infelicium temporum caſtæ latinitati permixtam ſeculo obtrudere, adeoq; cum Mezentio corpora viva jungere mortuis, hòc illi meritò laudatiores nobis æſtimandi ſunt, qui oculos adverſus infice-tum illud genus attollunt, & pro virili ſordes dictionis è ſtylo inquinatè ſcribentium laborāt abſtergere. Quos inter jure ſuo cēſendus eſt Vir Clariſſ. *Chriſtophorus Cellarius*, *Smalcaldienſis*, qui

non contentus eleganti scripto (*Antibarbarum Latinum* appellavit) ex *Vossii, Scioppii, Vorstii* libris, aliisq; domi natis meditationibus collecto fæces illas Latinitatis tollendas significare, sed & perlectis postea *Cogitationibus* meis *de Vitiis Sermonis*, non dubitavit varia, quæ nimiùm securè hactenus crediderat, immutare, emendare, opusq;, quod *Curas Posteriores* inscripsit, in publicum emittere.

II. Vox ejus: *Viam, quam Borrichius monstrabat, strenuè ingressus sum, & Scriptores Veteres, quos classicos appellamus, præsertim solutæ orationis, etiam sequiores, tamen alicujus nominis, inde à seculo Theodosii & Honorii ad Ciceronis tempora regressus, quantum licuit per officii rationes, legendo percucurri ferè singulos.* Molestiam, quam

susti-

sustinui, ut par est, in labore non mediocri, pensavit largissimè utilitas, quippè innumera deprehendi, quæ in Lexicis & Latinitatis thesauris frustra inquisiveram. Laudanda meritò industria, quam si plures literatorum sequi instituerent, incorrupta illa latinitatis priscæ majestas in tuto brevi collocaretur. Neq;enim unius hominis est pervestigare universa, nec istuc omnem ingenii impetum convertere negotia alia permittunt. Agnoscit illud Clar. *Cellarius*, & proinde sub finem præfationis suæ: *Tu verò*, inquit, *benevole Lector, bene vale, & si quid erratum etiam secundis Curis fuit, pro æquo humanitatis judicio benignè interpretare.* Ingenua professio, quis enim per tot spinas impune semper eluctabitur?

III. Proinde grave esse Cla-

rifs: Viro nequit, quòd, cùı
uterq; ad unam metam cont
damus, eadem libertate *Cu*
ejus *posteriores* expendam, quà
le *Cogitationes* meas; ubique
men fine acerbitate, fine ſton
cho, ſolo veritatis amore invi
tus. Neque tamen inſtituti n
erit trutinari omnia, quæ in C
ris illis ſcrupulum Curioſo f
taſſis movere poſſunt, ſed ea
tingam primùm, in quibus à m
Cogitationibus diſſenſum profeſ
eſt. His cū alia nonnulla adjici
tur luce & lectu forſan non in
gna, gratiam à publico initurı
me ſperabo, etiam à *Cellario*; n
que in palæſtrâ literaliâ.

Cenſendi hanc veniam petimu
damuſq; viciſſim.

Initiò, de terminis ætatum L
tinitatis non admodum diſcr
pamus; eſt tamen quod moneaı
me

cum *Scioppio* ætatis aureæ
nordia à bello Punico secun-
ıccersere, motum inter alia
Porcii Licinii apud *Gellium*
'. c.21.
*Punico bello secundo Musa pin-
nato gradu
ntulit se bellicosam in Romuli
gentem feram.*
Ante quidem Latinè locuti
t, sed non eâ curâ aut religio-
atque adeo sine Musâ; postea
oëtis cœptum, ut Musarum
rdotibus. Fuerit rudior mo-
ı *Ennii*, *Accii*, *Lucilii*, *Pacuvii*,
vii, *Cæcilii*, auream tamen
se vel is antiquus literator o-
ıdit, qui aurum se ex *Ennii*
coribus colligere profiteba-
. Multò minus ab aureâ æta-
xcludendi *Cato* de R.R. *Plau-*,
Terentius, *Lucretius*, quorum
tio prorsus latina, prorsus e-

legans, sed circumcidendæ tantùm absoletæ eorundem fimbriæ. In hanc rem *Tullius* in Bruto: *Mitto Lelium*, inquit, *P. Scipionem: ætatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiæ, sic latinè loquendi*. Et mox: *Omnes tum ferè, qui nec extra hanc urbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, rectè loquebantur. Sed hanc certè rem deteriorem vetustas fecit & Romæ, & in Græciâ*. Ut vel hinc constet, sermonem latinum emendatiorem propemodū fuisse paullo ante Ciceronem, quàm illo florente, nisi quòd ipse probæ consuetudini rationem tanquam obrussam adjecerit. Eadem ferè judicare Clar. *Cellarium* existimo, utcunq; scribat prænarratos Auctores *aureum Latinitatis seculum antecessisse*.

IV. Argenteum Latinitatis ævum

m ab excessu Augusti ad tem-
ra Antonini Pii extendit *Cel-
ius*, ego tantùm ad excessum
ajani. Discrimen haud quidem
an de, non negligendum tamē.
lim enim ostēdi mihi, quinam
sint limati, politique Aucto-
, qui principatu Hadriani cœ-
rint scriptis inclarescere. Ego
iè neminem offendo ab obitu
ajani, cujus dictionem tutò li-
at tyroni commendare. *Florum*
tiente rerum Trajano scrip-
e Epitomen illam Romanæ
toriæ (quæ sola ipsi certò asse-
ur) vel ex eo conficere licèt,
òd in operis sui proœmio di-
tè testetur populum Romanū
rtiâ Cæsarum quasi consenuis-
atque decoxisse, *nisi quòd sub
ajano movet lacertos, & præter
m omnium senectus Imperii qua-
edditâ juventute revirescit*. Ne-
que

que etiam solenne est præfationē exarare, nisi opere demum absoluto, secundum illud *Tullii* l. 2. de Oratore: *Quod primum*, inquit, *est dicendum, postremò soleo cogitare, quo utar exordio*. Fuerit tamen clarus sub Hadriano, luserit cum eodem versu illo lepido, quem conservavit nobis *Spartianus*, dū claritudinem illam, Trajani imperium scriptis illustrando, emeruerit: Ævum enim scriptoris non metiendum precisè à tempore, quo vivit, sed quo incipit florere; quem florem, cultumque dictionis licet nonnunquiam inventes serò annos extendat, non is tamen cultus posterioris seculi fœtus æstimandus erit, sed prioris, quo colorem duxit, & robur justum consecutus est. Ita *Ovidium* in sæculo aureo collocat Clar. *Cellarius*, & providè, quamvis

s ignorare nequeat Ovidiana
ædam adhuc extare, quæ post
itum Augusti concinnata sint.
lladium, *Rutilium Taurum* styli
or in ævum Trajani meritò re-
t, utcunque sub Hadriano ad-
c vivisse. pertendat *Lud. Vives*.
nc acerrimus ille ingeniorum
nsor *G. Scioppius* in *Paradox*.
erar. eundem unà cum *Colu-*
llâ inter argentei ævi recenset
iptores. Esto, voces ejus ali-
ot, licet oppidò paucæ, vide-
ur in ævum inferius declina-
illud tamen id duntaxat ostē-
, ultimam argentei ævi lineam
mæ ejusdem origini non esse
asse æqualem. Certè ex pau-
imis illis, ut asperrimè dicam,
dibus velle eum cum *Cellario*
Justini, *Gelliique* ævum detru-
e, nimium est. *Columellam*
, ut recentem scriptorem,
eumq,

eumq; ſæpe emendat. Inter o
nes ejus voces ob ævum infelici
ſuſpectas nulla mihi magis vi
tur olere fæces, quàm *nimietas*;
tamen eandem , jam ante Co
mellæ uſurpatam fuiſſe cernim
apertiſſimè, hoc eſt, ævo Clau
Imper. non ignotam. De *Ge*
ſufficit hic judicium illuſtris V
Petri Lambecii prodrom. lucul
Crit. in A.Gellii noctes Attic
Dies natalis Gellii, inquit, *inci*
in jam affectum Trajani imperiu
adoleſcantia in Hadrianum, flor
ætas in Antoninum Pium, obit
in Marci Antonini Philoſophi pr
cipium. Libros Noctium Atticar
ſub Antonini pii imperio in luc
edidit. Unus *Apicius* (ſermo
de ſcriptoribus, qui adhuc
publicâ luce extant)videtur H
driani ævo ſcripſiſſe: ſed que
nemo ſecurè in ætatem arge
team

m retulerit, quamquam enim
ſan plura artis coquinariæ
:abula ex ævo ſuperiori reti-
ıt, non dubium eſt tamen, eũ
i-nimiùm indulſiſſe, & ſæpe
ıſiſſe è fæcibus. Quis enim
det argentea eſſe: *duracina
ſica exime, & ſpongiabis; exin-
ınſicia plaſſantur; reexinanies in
abum; pulpas, quas ſubcultra-
, in jus mittes; nè fundum tan-
: propter combuſturam, ſalaca-
ıia; expromari; aſſaturas inſeris;
ıſabis piſcem*, & longè plurima
ıſmodi, quæ degenerem æta-
n fatentur. Proinde non in-
iâ ab *Apicio* ænei ſeculi du-
ntur primordia. *Juſtinum* ſub
ıtonino Pio ſcripſiſſe nemo
è dubitat, quamquam prop-
curam dictionis, cum *Gellio*
ætatem argenteam poſſit ali-
atenus revocari.

V.

V. Ab anno Christi CCCC
hoc est ab impetu in urbem u
bium irrumpentis Alarici , a
nostra usq; tempora quicqu
verborum latinorum novè co
fictum , barbarismi vitio labor
re nobis equidem persuasum e
quòd ex eo tẽpore barbari d
mini Romanæ urbis , & paul
post, vicinarum regionum , om
nia ad mores suos accommoda
rent, adeoq ; studiorum liber
lium pretia tollerent. Quanqu
enim Theodoricus , Gothoru
in Italiâ Rex, assertor literaru
videri voluerit , & *custodem libe
tatis , Romaniq; nominis propag
torem* se se appellârit in marm
re amplo , quod Tarracinæ (A
xur Veterum erat) inspexi , l
quitur tamen illud ipsum ma
mor, quàm fæculenta tum fuer
Latina lingua , cùm legas ibid

ITER.

R. PALUDUM (ſc. Pontina-
ι) QUÆ. RER.OMNES . RE-
). PRINCIPVM , INUNDA-
ANT.USUI .PVBLICO. ET
URITATE . VIANTIVM.
TITUIT. Et mox: EX. PRO-
IÆ. DECIORUM. Nec non:
PLURIMOS.ALBEOS, id eſt
imos alveos. Cl. *Cellarius* a-
n ætatem illam ferream non
baram, ſed *quaſi ſemibarbaram*
ellat, inductus eo, quòd *Sal-*
ius, *Proſper Aquit*. *Sidonius*,
tius, *Caſſiodorus*, *alii*, viri extra
troverſiam docti ſeculum il-
ſcriptis eruditis illuſtrârint,
s *nequaquam barbaros*, *aut cō-*
nendos exiſtimat. Sed non ob-
at *Vir* Clariſſ. aliud eſſe, *hinc*
barbaram vocem infercire di-
ni latinæ, aliud *ſcriptorem ap-*
ari barbarum. Non damnan-
equidem ſcriptor, non con-
tem-

temnendus, qui aliquando
excidit, cujus ſtylus nonnun
bārbariſmo infuſcatur, no
ideo nuncupandus *barbarus*,
ſæpius,& graviter delinquat;
tamen idcirco, quæ novè cc
cta, quæ poſt annum Ch
CCCCX quaſi furtim in lingı
latinam admiſſa, deſinunt
barbara. Cætera *Salviani*, *Sid*
Caſſiodori, &c. amamus, am
ctimur, ut docta, & priſco fc
manātia, ſordes autem huic ı
puræ inſperſas, quâ aliâ notâ
ſcapham ſcapham vocare de
tum) quàm barbariſmorum
ſignabimus? inprimis ſi *Quinti*
ni Inſt. Orat. l. 1. c. 5. ſequan
ubi barbariſmi genium, & v
fusè perſequitur. Quin &
ævo *Martialis* l.VI. epigr. X
Cinnamum quendam, ob le
appendicem nomini ejus add
bar

arifmi infimulare non du-
vit,
nnam, inquit, *Cinname, te ju-*
bes vocari,
on eft hic, rogo barbarifmus?
a fi Furius ante dictus effes,
r iftâ ratione dicereris.
tifmi aureæ & argenteæ
s inter vitia fermonis nu-
ri nequeunt, nifi vitiosè
entur. Quæ æneo feculo in
m linguam irrepfere, ante
a, non omni vacant culpâ,
q; ad cadentem latinitatem,
Cellario non immeritò re-
tur. Utrum autem *feriari*
lus, habitaculum, fúmitas, in-
re ftudiis, pofito quod, &c.
Trajanum nata fint, poftea
imus. Voces Ecclefiafticæ
eneo primùm in lucem edi-
fi levi admonitu præmolli-
ı cultiori dictione non te-
mere

mere usupentur, minùs adh
quæ post illud ævum procusæ s
licet Theologis in suo foro p
miseris.

VI. Hæc paucis de Vestib
Cl. *Cellarii*, nunc ædes ipsas
grediemur. Et primùm quid
ea attingere libet, in quibus à
nonnihil dissentit. Vellicatu
Scioppio phrasis; *adhibere fid*
pro *credere*. Ego verò ita re
fueram: *Licet certum sit, eam*
rumq; usurpari sensu Scioppiano
est, pro, bona fide agere, *non*
sunt tamē loca insignium auctor
qui fidem adhibere *pro* cred
usurpârunt. Itaq; adduxi *Tull*
l. de Divinat. II. *Quod si insa*
rum, inquit, *visis fides non est*
hibenda, quòd falsa sint, cur cre
tur somniantium visis, quæ m
etiam perturbatiora sunt, non
telligo. Advocavi itidem *Auso*
epist. X. S

Si qua fides falsis unquam est
ibenda Poetis,

Exempli posterioris vim cùm
leclinare nō posse videat *Cel-*
us, in Ciceronis illo loco le-
cum Schrevelio, & nonnullis
s, *habenda fides*, non *adhibenda*.
) contrà in nitidissimâ *editione*
stelod. Anni 1642. item *Basi-*
si, *Lutetianâ Caroli Stephani*,
ensii, *Lambini*,& in Lex.Critic.
l. Paræi, invenio *adhibenda fi-*
cui proinde lectioni non dif-
lter accessero. MSta MStis op-
iuntur. Sanè per quam infir-
semper *visa* mihi est illa *Vi-*
ii & aliorum quorundam col-
io: *si quæ phrasis in hoc aut illo*
æ notæ scriptore uno sæpe modò
lligenda est, *ergo semper*. Quid
nitius, quàm apud Auctores
imos frequentissimè *habere fi-*
i idem esse, atq; *credere*? & ni-
hilo-

hilominus *Horatio*, l.de Art.P
longè aliud designat. Eccum
Et nova, fictaq; nuper habel
verba fidem, si
Grçco fonte cadant, parcè deto
Sed & illud *Plauti* Rud.act.4.s
Gr. *Quanquam ad ignotum*
bitrum me appelli,
si adhibebit fidem,
Et si est ignotus, notus est.
dupliciter explicari potest, &
trumque convenienter; sive en
Gripus intelligat, non displic
sibi arbitrum causæ, si in ju
cando integritatem adhibeat,
ve, si verbis suis habeat fiden
sensus sibi abunde constabit.
testimonio *Ausonii*, castigatissi
secundum *Is. Causabonum* Poë
hic nihil adijcio, nisi illud un
Conr. Rittershursſii: *Vt de senten*
Ausonii nihil, inquit, *dicam.ver*
quàm scitè ab optimis scriptorib
Lu-

Lucillio, Plauto, Terẽtio, Lucret. Varrone, Cicerone, Virgilio, Horatio, Martiale, *& plurimis aliis mutuatur.*

VII. *Anterior*, vox suspecta *Vossio*, sed à me vindicata illustri loco *Iulii Cæsaris* de bell. Civil. l. 3. Verba adjeci ex ultimâ editione *Montani* Anni 1670, quæ eadem deprehendo in edit. Ansteldr. Anni 1636. ex emendatione *Ios. Scaligeri*, item in curiosâ editione *Jungermanni*. Quod si ergo *Ciacconius* repererit in veteri libro *exterior*, ut *Cellarius* perhibet, multitudine, & fide meliorum exemplarium retundendus est. Vtcunq; tamen fuerit, idiotismus æstimari non debet, cum alij testes à me allati sint, *Symmachus*, *Sulpitius*, *Severus*, *Sidonius*, quibus hic adjungo *Prudentium* Hamartig.

Anterior numero est, cùi filius unicus uni est. B *Di-*

Dices idiotismum esse seculi aurei, non ferrei; sed nè id quidem tutum, nisi excussis majori sollicitudine Auctoribus, præsertim cùm *Priscianus* laudet tanquam probum comparativum.

VIII. *Asserere*, pro *affirmare* vindicavimus adversus *Scioppium* loca *Catonis* & *Palladii*. Cellarius de loco Catonis in Fragm. ambigit; & mox: *nec*, inquit, *majorem vidimus, qui ita ausus esset Palladio, Rutilio, & Justino*. Et quidem *Palladii* locum mihi debet; locum *Catonis* ostendunt excusa fragmēta ejus: ut autem & illustriora exempla mihi debeat, recognoscat mecum illud *Taciti* l. 16. Annal. sub initium: *Igitur Nero non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectatâ, nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera afferentur, auget ultro rumorem, mittitque*

tque qui velut partam prædam *lveherent*. Ita editio *Boxhornii* *ipſii*, *Lud. d'Orleans*, & *Variorum* ariſina. Idem *Tacitus* Annal. l. . *Tiberius*, aſſeruit, *ſolitum*, *pa-* *emque ceteris dicaturum*. Seneca e Conſtant. ſapientis c.10. *Hæc* *on nego ſentire ſapientem, nec enim* *pidis illi duritiam, ferrivè aſſeri-* *ius. Nulla virtus eſt, quæ non ſen-* *as, perpeti*. h.e. non affirmamu ıpientis animo lapidis, ferrivè luritiam adeſſe. Vtque hoc ul-imum patiatur ſe fortaſſis aliter letorqueri, evidentius eſt Roſcia-rũ illud apud Cicer.. l.2.de Orat. *Tibi ego Antipho, aſſero*, *inquit*, *ſenium eſt*, *cùm audio*.

Quin ipſe Cicero Acad. quæſt. .1. *Quibus de cauſis*, inquit, *nihil* *oportere, neque profiteri, neque af-* *firmari quenquam, neque aſſertione* *approbare*. Et mox: *Nec quicquam*

esse turpius, quàm cognitionem
perceptioni assertionem, approbati
nemque præcurrere. Et paullo pc
eandem vocem in affirmandi
gnificatione repetit. Atque ita
omnes, quas videre licuit, editi
nes verba Ciceronis exprimun
etiam accuratissima *Petri Vict*
rii. Solus *Lambinus*, cùm textu
eodem modo reddat, in margi
vocem *assensionis* conjecit, nul
tamen auctoritate sustentatus.

IX. *Contrariò* perperam di
creditum *Vossio*: ego vindicavi e
Corn. Nepote, *Hygino*, *Tertullian*
His adjeci, locum *Tullii de Vnive*
non servire firmandæ eidem sen
tentiæ, quod ibi legatur *contr*
rios, non *contrariò*. Cl. *Cellarius* h
contra fidem exemplarium, e
ingenio parat ostendere, leger
dum ibi *contrariò*, quippe *Tullium*
Græca *Platonis* ibi vertisse, Pla

to-

tonem autem ita: ὁπόσα ἐναντίως πέφυκε διεςῶτα. Sed & in ambiguo hoc argumentum, quis enim cogat *Tullium*, ut verbum verbo reddat? Quid tritius illo *Horatii*: *Nec verbū verbo curabit reddere fidus Interpres.*

Videamus jam, an cætera *Platonis*, quæ ibidem vertit *Cicero*, ad mentem Clarifs. *Cellarii* κατὰ πόδα reddantur. *Plato* ergo in *Timæo*, paullò ante verba à *Cellario* allata: Ἀκήρατα δ' οὐκ ἔτι κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως, ἀλλὰ δεύτερα καὶ τρίτα. *M. T. Cicero* vertit: *Superioris permissionis reliquias fundens æquabat, eodem modo fermè, nisi quòd non ita corruptas, ut ea, quæ semper idem, sed à diis secundū sumebat, & tertiū*, mox illud: Συςήσας δὲ τὸ πᾶν *toto igitur omnino constituto.* Quod si verbum verbo reddit *Tullius*, cur non reddidit ἑαυτοὺς

 simi-

ſimiliter? quam vocem amat l. 3. de nat. Deor. 1. de Officiis, in Philippicis, alibi. Cur addit ad Συςήσας τὸ πᾶν. illud *omnino*, quod in Platone non extat? Legit autem *cõtrarios* editio *Baſileëſ*. An. 1540. *Pariſiëſ.* Caroli Stephani 1555. itẽ *J. Badii Aſcẽſii*, itẽ ütraq. *Lábini, Rob. Stephani, Gruter. Schrevelii.* &c. Rectiùs quæsiviſſet *Cellarius* firmamentũ vocis, *cõtrariò*, in *Vitruvio*: Is enim l. 8. c. 1. ita apertiſſimè: *Campeſtribus autẽ locis cõtrariò nõ poſſunt haberi copiæ.*

X. Quod ad voces *delectabiliter & univerſaliter* attinet, eas ex *Varrone* aſſerui, & præterea *delectabiliter* ex *Gellio*, *univerſaliter* ex *Cajo ICto. Varronis* locum illuſtrem l. de Philoſ. obtulit mihi *A. Popma*, inſignis literator, *Georg. Fabricius, alii*; quem cum poſtea ex *Auguſtino admonitu* Cl. *Cellarii* hauſtum l. 19. c. 1. de Ci-

.Dei,intelligerē,excusso Vene-
ili Scriptore deprehendi tādē
ɔendicem hanc Augustini: *Hæc*
uit de *Varronis libro*, quantum
ui, breviter & dilucidè posui,
tentias ejus meis verbis ex-
:ans. Ambiguum ergo relin-
tur, quòd & monuit Cl. *Cella-*
, vtrum *Varro* ita scripserit.
ıilominus cum Augustinus hic
ıtaxat tradat se *sententias* Var-
is explicuisse suis verbis, non
|ua suspicio est, eundem par-
ɔnis formulas retinuisse, &
sertim summariū totius dis-
ıtionis stylo Varronis expres-
. In summario autem hoc,
rone, non indigno utraque
vox reperitur: *Quatuor esse*
dam, quæ homines sine Magistro,
ullo doctrinæ adminiculo, sine
striâ, vel arte vivendi, quæ
us dicitur, & procul dubio di-
B 4 *sci-*

scitur, velut naturaliter appeti aut voluptatem, quâ delectabil movetur corporis sêsus, aut quiei quâ fit, ut nullam molestiam q que corporis patiatur, aut utr quam tamen uno nomine Volupt Epicurus appellat: aut universal prima natura, in quibus & sunt, & alia: vel in corpore, ut brorum integritas, & salus atq incolumitas ejus: vel in animo ea, quæ vel parva, vel magna hominum reperiuntur ingeniis.

XI. *Dictionem* quandoque *vocabulo* usurpari, contra \ sium visus mihi sum satis prol se testimonio præsertim *Cat* & *Quinctiliani*. Ad hæc *Cellar* *Catonis auctoritatem spuriam haustam ex Annio Viterbiensi, Q ctiliani autem dubiam, posse en ibi dictionem perdicendi genus poni*. Sed ut ad ultimum pri

con

ıvertar, in *Quinctiliani* illo lo-
Instit. Orat. l.9.c.1. nullum rē
ıbè intuenti dubium oriri po-
·. Vox ejus: *Tropus est, dictio, ab*
oco, in quo propria est translata
'um, in quo propria non est. Per
ionem hic potissimum intelligi
abulum res loquitur, ut in *Co-*
diduximus. Et *Fabius* ipse
ıllo post se explicans: *Nihil e-*
' refert, inquit, *quomodo appel-*
r utrumlibet eorum, si, quid ora-
i prosit, apparet. Nec muta-
vocabulis vis rerum. Quin &
: clariùs l. 6. c. 6. *Tropus*, in-
t, *est verbi, vel sermonis à pro-*
i significatione in aliam cum vir-
translatio. Opportunè con-
ʒit hîc *Quinctilianus* verbum
ermonem, quià cum frequen-
mè reperiatur Tropus in vni-
verbo, aliquando tamen &
ribus exprimitur, de quo fusè

Vossius in Rhetor. Id ergo quod *Quinctilianus* hîc reddit tum *verbo*, tum *sermone*, id antè Veteres Grãmatici cum *Quinctiliano* reddiderant, dictione; quæ propterea utrumque significat. Accedit, quod expectem, quo loco demõstret Cl. *Cellarius* unicum vocabulum appellari, *genus dicendi*. Locum *Catonis* quod spectat, scio *Popmam* ex *Annio* hausisse, sed & illud non nescio, tum *Ludovicum Vivem*, tum *Leandrum Albertum*, *Guil. Postellum*, *Nauclerum*, *Lazium*, *Functium*, *Munsterum*, *Podianum*. *Middendorpium*, *Bolducum*, alios, (quicquid contra moliatur *Leo Allatius*) in Annianis illis nõ pauca vera agnovisse, & præsertim *Leandrum* illa, quæ de *Originibus* tradit, genuina *Catonis* æstimare, de quo quivis ex ingenio vel addat, vel detrahat fidem.

XII. *Fe-*

XII. *Feriari* displicet *Vossio* ex-
participium; ego veró præte-
.um perf. beneficio *Catulli*, &
:*crobii* in *Cogit*. vindicaui,& in-
itiuum ope iterum *Macrobii*.
l hæc Cl.*Cellarius*: *dubitare se*,
antiquior Macrobio, *Sidonioque*
·*bum illud habeat*. *Catulli ver-*
,feriatus est amor, *explicari pos-*
ut participium; *utque detur*, *esse*
·*fectum indicativi*, *non esse tamen*
·*rba Catulli Veronensis*, *sed Ano-*
mi, *qui non longè fuit ab ætate*
lini. Verùm enimvero non sa-
: providè *Macrobium* expendit
llarius; *præter enim alia loca*, *in*
·*ibus feriabatur*,& *feriari*, & *fe-*
ındi voces, ceu proprios fœtus
;noscit *Macrobius*, expresse ipsi
iceroni eandem attribuit l.1. in
m. Scip. c.4. ubi inducitur Sci-
:o ex l. 6. *Cicer*. de Republ. ita
:fferens: *Patimini me*, inquit,

quoniam tertium diem jam feri
ſumus; poſtea de ſuo addit M
crobius, cætera, quibus venit
narrationem ſomnii. Locus p
bè excuſſus liquidò oſtendit
feriati ſumus, non eſſe *Macro*
ſed *Ciceronis* verba; hinc & e
in *FragmentisCiceronianis* legun
paullo ante ſomnium Scipio
Iam ad *Catullum*: Quod ad æ
tem ejus attinet, utcunque Ve
nenſis ille non ſit, ſed in edit
nibus, *Catulli* Veronenſis con
certè *Juſtus Lipſius*, acerrin
ingeniorum Cenſor non dub
vit ſcribere de hoc Catullo:
tum, inquit, *hoc carmen compe*
in imperio Auguſti, *ſed ſcri*
paullo poſt Virgilium; *bláditur e*
ibi Oct. Auguſto in illo: *pat*
crearet & Nepotem Cæſarem
Ego unum id addo, deſider
me oppidò, quis tam doct
men

mendatèq; scripserit Poeta ævo *Solini* semibarbari. Intueamur dictionem *Sereni Samonici*, qui etiam ante *Solinum* scripsit, judicio *Vossii*, & plebejam eam, rusticamq; deprehendemus, si ad hoc *Pervigilium Catullianum* comparetur. Plebeja, inquam, dictio *Sereni* est, & sordida, ut inspiciēti patebit; unde miror, qui potuerit Cl. Cellarius eum *Poetam nobilē* in Proleg. appellare. Sed descēdamus nunc ad Catulli verba.

---- nec tamen credi potest
Esse amorem feriatum, si sagittas vexerit.
Ite nimphæ, posuit arma; feriatus est amor;
Jussus est inermis abire, durus ire jussus est,
Ne quid arcu, neu sagittà, neu quid igne lęderet.

Vbi primus nativæ cogitationis

nis impetus persuadet, nihil al
intelligi, per, *amorem esse feri*
quàm, amorem cessâsse; ide
postulant præterita *vexerit* &
deret; denique illud *feriatus*
ita inter plura includitur p
terita, posuit, jussus est, iter
jussus est, ut nequeat nisi obto
quod dicitur, collo vel nom
vel participium nominis nat
induens æstimari.

XIII. *Humilitas* Veteribus
tium erat, non virtus, ex *Vossi*
contrarium plura in *Cogit.* m
tus sum, & nisi me fallunt
nia, non inconvenienter. *Celi*
tamen adhuc *humilis & humi*
vergentis sive cadentis latinit
voces sunt, cum pro modesto, &
destiâ ponuntur. Duo respon
unum, qui meas rationes in C
allatas seriò inspicit, eum
posse non videre in legitimè
car

cantium humilitate apud *Propertium*, *Virgiliumq;*aliud, quàm nudum proſtratorum in terram habitum, quo ſatis ſciebant non placari Numina; & proinde ſub illâ humilitatis voce ſimul comprehendebant non magis triſte corporis incurvati ſchema, quã ingenuam animi morigerantis demiſſionem. Hinc & *Seneca* l. II. de Irâ c. VI, in Virtute agnoſcit humilitatem; & proximi argenteo ſeculo Patres Chriſtiani, *Tertullianus*, *Lactantius*, *alii* licet eruditiſſimi, nequiere aliam reperire vocem huic virtuti Chriſtianæ exprimendæ opportuniorem hâc ipsâ. Neq; enim viſa eſt ipſis *modeſtia* ſatis rotundè neceſſariam illam virtutem ſiſtere ob oculos. Recognoſcamus ex *Tullio* l. II. de Invent. modeſtiæ definitionem, ut diverſitas eluceat.

Mo-

Modeſtia, inquit, *eſt*, *per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem cõparat auctoritatem*. Vel ſi placet *Auctor ad Herenn*. l. III. c.II. *Modeſtia*, inquit,*eſt in animo continens moderatio cupiditatum*. Quid his definitionibus commune eſt cum germanâ illâ humilitate Chriſtiana? nihil profectò tam alienũ à ſacrâ illâ virtute, quàm velle auctoritatẽ ſibi comparare. Neq. tam Chriſtianæ humilitatis eſt, rebellibus moderari cupiditatibus, quàm eas planè circumcidere, proſcribere, amoliri. Hîc modum (à quo modeſtia deſcendit) metamq; ſibi definiri non patitur Deus; aut univerſam voluntatem ſibi obſequentiſſimè deditam, vult ſine exceptione, aut univerſam damnat & averſatur. *Alterum eſt*, ſi ex illo loco Spartiani à *Cellario* adducto : *Objecta eſt ſu-*

per-

perbia, cùm ille etiam in imperio fuerit humillimus, justè probari queat, *humilita*[illegible] cadente latinâ linguâ, pro modest[illegible] est, virtute usurpatam esse, ceu pertendit *Cellarius*, longè justius ego produxerim locum *Petronii Arbitri* huic simillimum, ut doceã argenteo seculo eandem *humilitatis* vim, notionemq; viguisse. Ita enim *Arbiter*, quem *Cellarius* in Proleg: ævi argẽtei facit scriptorem: *Mirari*, inquit, *tam discordem libidinem cœpi, atq; inter monstra numerare, quòd ancilla haberet matronæ* superbiam, *&* *matrona ancillæ* humilitatem. *Tacitus* Hist. l.I. *Et Vitellius apud severos humilis, ita comitatem, bonitatemq; faventes vocabant*. Vt quandoq; pro comitate, hoc est virtute capitur humilitas, ita & superbus aliquando in bonam

partem

partem accipitur. *Silius* l. XI.

I decus Ausoniç, quo fas est ire superbas
Virtute & factis animas.

XIV. *Illegitimus*, inquit Vossius, *non dixero*. Opposui ego verba *Valerii Maximi* l.II.c.1.v. III· quæ & ipsa hîc repetenda, ut ex orationis contextu res evidentiùs definiatur: *Quæ uno matrimonio contentæ fuerant, coronâ pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipuè matronæ sincerâ fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret; multorum matrimoniorum experientiam, quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum esse credentes*. *Cellarius* autē vult legendum ibi *legitimæ*, ita docere editionem *Aldinam*, *Lugdunensem*, & *MSStum Brandenburgicum*, eamq; lectionem, judi-

dice Cl. *Vorstio*, menti *Valerii* esse propriorem. At pro nobis perorant alii *MSSti codices*, & vetus illa editio *Petri Danielis*, item Francofurtensis Anni 1627, à *Stephano Pighio* olim emendata, itē illa quæ notis *Lipsii* comitata est; atq; *Thysiana* recentior: ergo intuendum præcipuè, quò vergat institutum Auctoris, ut inde verior lectio exculpatur. Itaq; legendum ibi *illegitimæ* res ipsa persuadet, & vocabulum *quasi* luculentè confirmat. Quid enim illud est? *Multorum matrimoniorū experientiam esse quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum*; erat enim vero illa ad secundas, tertiasq; nuptias transeundi sive libertas, sive intemperantia, apud Romanos, sicut plurimas gentes alias, certè legitima, hoc est, leges & moribûs antiquîs permis-

sa,

ſa, ſed ob ſuſpicionem libidinoſæ voluptatis, in gravi & ſanctâ civitate cēſebatur *quaſi illegitima*

XV. *Imprecatio*, inquit Cellarius, *lexica ignorant*; *Voſſius inſuper dānat, nec Borrichius eius cauſam ſuſcepit. Inſonti reæ Plinium patronum advocamus* l. V. c. VIII. *Solem orientem, occidentemq; dirâ imprecatione contuentur*. Hæc ille. Verùm illuſtris *Voſſius* vocem hanc non damnat abſolutè. Ita enim: *Imprecatio*, inquit, *agnoſcit Calepinus. Veteres pro eo, exſecratio*. Per veteres autem intelligit aurei ſeculi ſcriptores; quemadmodum & pag. 350. damnat vocem *acquiſitio*, ut ſolius *Frontini*, an veteres ita dixerint, teſtatur ſe ambigere. Eôdem modô Cl. *Cellarius* pag. *Curar. poſter.* 65. per *priſcos Latinos* intelligit *Varronem* & *Livium*. Itaq; nihil hîc

adeo

adeo à *Vossio* peccatum video, nec urgētem rationem, cur caussam ejus hìc susciperet *Borrichius*. Si tamen necesse est, eam vetustiori auctoritate defenderit *Borrichius*, quàm Plinianâ illâ *Cellarii*: *Seneca* enim l.6. de Benefic.c. 35, disertè. *Exsecraris enim illum*, inquit, *& caput sanctum tibi dirâ imprecatione defigis*. Ita postrema editio *Senecæ* ex ultimâ *Lipsii* & *Gronovii* emendatione.

XVI. *Indigitare*, pro indicare, sumi quandoq;, sed in sacro negotio ostendi in *Cogit.* ex loco *Macrobii*, *Tertulliani*, *Varronis*. *Cellarius tamen vult notionem pro indicare, non esse certissimæ latinitatis*. Si extra argumentum sacrum adhibeatur, non repugno, in eo autem locus *Tertulliani* evidentissimus est, nec *Varronis* in *Logistor*: aliud persuadet: *In partu*

tu precabatur Numeriam : quam Deam solent indigitare Pontifices: hoc est, quam etiam Deam esse indicant Pontifices, adeoq; invocandam. Neq; enim Pontifices ipsi invocabant Numeriam, sed parturientes. De origine vocis plura adducit in Etymol. *Vossius*.

XVII. *Infernus*, malè pro inferis, *Vossii* Vox est. Nec placet eidem illud Aquilejensis symboli: *descendit ad inferna*; rationem adjicit, Veteres eô vocabulô sẽper usi sunt adjectivè. Ego verò contra ostendi ex *Varrone*, & *Tacitò* omnia alia. Et quidem *Tacitus* l. 5. Hist. *Eadem*, inquit, cura (Judæis) & *de infernis persuasi*. *Varro* ταφῇ Μενίππου *Saltem infernus tenebrosus*, κακοδαίμονας *tenet*, & c. Hîc Cl. *Cellarius* in dubiũ vocat locum *Varronis*, quod *Di-*

nis.

nis. Godofred. ibi legit, *infernus tenebrio; κακὸς δαίμων* atq; *MSSti* idē testentur; quoque *Nonii* editio Parisiensis habeat *Infernus tenebro, quamvis*, ut subjicit, *tenebrio* placeat Viris doctis. Cæterum primò, negare nequit *Cellarius, Auson.* Popmā, *Riccobonum, Buchnerum*, (quibus ego addo *Henricum Stephanum*, & editionem *Durdrechtanam*, curiosam illam, atque in emendatissimis meritò æstimandam) constanter ibi legere: *Infernus tenebrosus*: atque adeo tot viris doctis justiùs habendam fidem; quàm conjecturę unius *Godofredi*, unius aut alterius *MSSti* ambigui. Secundò, antiquis Romanis, ut *Varroni*, alijsque ejus ætatis hominibus nusquam, quod memini, legimus unum peculiarem *tenebriorem infernum*, qui teneret homines sollicitos,

licitos, innotuisse, sed locum inferorum impijs affligendis destinatum, nôrant propemodum universi. Neque enim Charon *infernus tenebrio* unquam vocatus est, aut vocari potuit, ut intuenti palam; nec malus ille *Cassii* apud *Valerium Maximum*, genius, qui se ibi *κακοδαίμονα* vocat, ex inferis creditus est venire, sed simul cum illo natus. Proinde non possum non amplecti lectionem illam *Varronis* tot doctorum calculo approbatam: *Infernus tenebrosus tenet cacodæmones, atque habet homines sollicitos: quod eum pejus formidant, quàm fullo ululam*. Nec aliud suadet *Obsequentis* illud: *Fremitus armorum ex inferno auditus*: item *Fremitus ab inferno ad Cælum ferri visus*. Quid enim hic intelligas nisi *infernum* substantivè positũ,

pro

pro *inferno loco*? Et cùm dicis inferna, quid nisi substantiuè poni, ac si diceres *loca inferna*? Nondum inscripto quærunt, qui hîc dissensum profitentur. De ætate autem *Jul. Obsequentis*, & de põdere verborum ejus inter utrũq; convenit.

XVIII. *Sagittare non damno* (ita scripseram in *Cogit.*) *sed argenteæ ætatis esse, unde demonstrabitur*? Ad hæc *Cellarius*: *Demonstro*, ait, *ex Curtii* l. 7. c. 5. *Forsitan*, inquit, *sagittandi tam celebri usu minus admirabilis videri hæc ars possit*. Illa vero infirmissima demonstratio est, à gerundio in di, ad infinitivum activum demonstrandum procedere. Hâc sanè ratione agnosceremus, infinitivos, *assètare*, quia *assentandi* Terentij est; *venare*, quia *venandi studium* Ovidij; *farè*, quia *fandi copia* Virgilii, *ad-*

tare, quia *adhortandi causa* Livii; *jocare*, quia *jocandi licentia* Suetonii. Ea collectionis liberalitas nimia est, cùm ne à *præteritô* quidem, aut *supinô*, satis tutò liceat ad infinitivum aut indicativum probandum procedere. *Minxisti* Martialis esse nôrat *Vossius*, & *Mictum* Horatii; non usus est tamen *mingo* & *mingere* tamquam aurei argeteivè seculi verba admittere; utcunq; sciret *Tò* mingeret esse *Flavii Vopisci*. Obduces, ab illo Livii *adhortandi causa*; ex gr. satis demonstrari tamen Verbum aliquod deponens extare, unde trahat originem. Sed nè id quidem satis evidens; potuit fortasse extitisse Saliorum ævo; & aureo, argenteoque defecisse; his adde inveniri quandoque vocabula, quæ gerundiis speciem præ se ferunt, & infinitivos tamen ad-

mit-

mittunt nun quam, quale est illud *Virgil.* Æneid. 1.

At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Serviunt gerundia præparando animo ad credendum, colores ostendunt, sed neutiquam demonstrant. Hinc nisi ego in *Justino* & *Vegetio* invenissẽ *sagittare*, nequaquã ex eo *Vegetii*, *sagittandi peritia*, in tuto collocatum hoc verbum existimarem. Aliàs *Plauti* est Trinum, Act. 2. sc. 1. *suaviis sagittatis percussus*; nec inde tamen *Tò* sagittare exculpere licet.

XIX. *Saltem* pro solùm, *latinum non est, sed Veteribus significat minimùm*, si *Vossio* credimus. Ego, ne crederem, inductus fui exemplis *Virgilii*, *Ovidii*, *Lucani*, *Plinii* in *Cogit.* jam allatis. Respondet Cl. *Cellarius*, *posse ibi* sal-

tem *utroq; modo exponi*, *ita tamen ut una interpretatio sit genuina, altera, vel loquuntur. per materialem æquipollentiam*, *adeoque his Poetarum verbis non ineptissimè convenire cum significatione minuendi*. Scio posse istuc detorqueri, sed genuinum sensum verborum esse, non capio. Bene interea, quod testimonium meum à *Lucano* deprõptum agnoscat, firmando instituto meo inservire, adeoque *saltem* pro *solùm* argentei ævi vocem esse. Nunc adiiciemus aureo seculo *Livium* l. 41. c. 6. *Eadem*, inquit, *& Sardorum legati nuntiabant, orantes, ut urbibus saltem (iam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret*. Non orabant, ut ad minimum opem ferrent urbibus, sed orabant duntaxat, ut solis jã urbibus succurreretur, quòd agri jam vastati essent, eòque in iis

certa

certa desperatio. Facilè tamen patior hîc quemvis ex ingenio vel addere suum, vel subducere calculum. Sed & Quinctilianus l. 10. c. 2. *Nec verò saltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere.* Plinius l. 2. c. 93. *motus enim terræ sileantur, & quicquid est, ubi saltem busta urbium extant.* Idem l. 7. c. 44. *Quis hunc Metellum jure felicem dixerit, periclitatum ad libidinem inimici, nec Africani saltem perire?* Plautus Curcul. act. 4. sc. 2. *Parissimi estis ijbus, hi saltem in occultis locis prostant. vos in foro ipso, vos fœnore, hi male suadendo, & lustris lacerant homines.* Idem Pœn. act. 3. sc. 1. *Attrepidare saltem, nam vos approperare non postulo.* Quinctilian. Declam. 3. *Hoc quoque sibi obijcitur. quòd saltem propinquus tuus peccarit.*

XX. Restat, ut paucissimis adhuc agatur de tribus vocabulis à *Cellario* incudi objectis. Et sunt *valedico, voracitas, unire.* Et quidem in *Cogit.* scripsi *valedicere* legi conjunctis syllabis apud *Senecam* Epist. 17. & apud *Ovidium* l. 1. Trist. eleg. 7. *Cellarius* in dubio relinquit, annè divisis ibi syllabis legatur. Verùm inspiciatur accuratissima editio *Ovidiana Nic. Heinsii*, & emendatissima *Senecæ* per *Lipsium, Gronoviumque* procurata, ut indubitata verbis meis constet fides. Nunc ad secundum. *Voracitas Cellario* probatur, quòd Auctore se tueatur *Appulejo*; sed non advertit, voces ab *Appulejo* fabricatas à *Vossio*, & me in *Cogit.* inter vitia sermonis numerari. *Vossii* illa sunt: *Voracitas ignotum Veteribus, qui maluere edacitas.* In quo non pos-

sum

sum non summo viro (si per Veteres intelligit aurei seculi scriptores) accedere, qui in Indice vitiosorum vocabulorum recensui inter alia, nonnulla *Sulpitii Severi*, *Vegetii*, *Macrobii*, *Marcellini*, *Hieronymi*, *Cypriani*, *Sidonii*, *immò Appulei*, & *Tertulliani*. Quid quod ea hîc vis deprehendatur veritatis, ut *Cellarius* ipse in *Prolog.* ita disserat; *Appulejus*, inquit, *novitatis*, *si quis nunquam in fingendis vocabulis, & revocandis absoletis studiosissimus*. *An ejusmodi novator inter Veteres scriptores Latinos collocandus*? *Ego* verò ex quò *Cogitationes* meas absolveram, incidi in hanc vocem apud *Plinium* l. 2. c. 107. *Quæ est illa natura*, inquit, *quæ voracitatem in toto mundo avidissimam sine damno sui pascit*. Ita quoque insignis illa Hackiana editio Anni 1669. Tandem

ad *Tò vnire*, quod restituere pa
rat *Cellarius* argenteo seculo, se
profectò *Claud.Mamertus* & *Sulp*
Severus, quos scriptores advocat
id nequaquam præstiterint; neque verò *Appulejus*, Unita corpora apud *Senecam* legimus, ut in *Cogit.* ostendi, sed non ideo *unire*: sic *catenatus* *Cœlii* est ad *Ciceronem*, item *Columellæ*, *Martialis*, *Plinii*, *Quinctiliani* quin & *Horatii*, neque ideo ausit prudens quisquam *Tò* catenare aurei argenteive ævi vocem declarare.
Sic de infinitis id genus alii.

XXI. Et hactenus quidem de iis, quæ Cl. *Cellarius* in *Cogitat.* meis, quantùm cursim pervoluẽdo observatum, virgulâ censóriâ notavit, amore haud dubiè veritatis, & studiô boni publici. Quô stimulô cùm uterq; pariter incitemur, non ingratum ei fu-

turum

turum arbitror, quod in *Curis* ipsius *posterioribus* hinc inde, sed amicè censendis aliquantisper etiam immorer, & libertatem jam addendi, quæ firmandæ ipsius sententiæ prosint, jam dissentiendi, quoties lectio bonorum Auctorum ita jusserit, usurpem. Et primùm quidem profiteor Cl. *Virum* memoriæ meæ iterum impressisse vocabulũ *Taciti sustentaculum*, quod licèt jam ante viginti annos, palimpsestis meis, ut *Vossio* ignotum, adeoq; publicè significandum commiserim, nascio tamen, quâ incuriâ effugit calamum, cùm elimandis *Cogitat.* meis animum ultimò intenderem. Interea quid mihi debeat, non hîc inculcabo; exstant luce publicâ utriusq; scripta benevoli lectoris judicio permittenda. Sed nec ignorare oportet.

tet, non idem fuisse utriq; instititum; ego intra *Vossiana* meæ pomœria continui, *Cellarius* & ad aliorum vitia censenda se diffudit, non sine insigni nominis sui gloriâ; quanquam in tot, tamq; lubricis vestigiis semper tutò pedem figere non sit in manu ullius mortalium; ita sæpe scriptores aliud agentes pervolvimus, sæpe ambiguâ illâ variãtium lectionum ambage turbamur; non raro novus *Criticus*, quæ in omnibus editionibus tãquam rata amplexi fuimus, ex ingenio immutat, & legendum aliter sive existimat ipse; sive aliis etiam parat persuadere. Hæ sunt difficultates propemodum ineluctabiles, nisi generali omnium doctorum consensu in certis editionibus censendi meta constituatur, amputatâ ulterius no-

novandi, emendandivè libertate. Quod cùm ægrè queat expectari, vivamus moribus præsentibus, cogitemusque utcunq; nos multa nobis videamur egisse in hoc stadio, nemini tamen præclusum iri aditum plura etiãnum, & præclara adiiciendi. Sed ad institutum.

XXII. *Abominor*, inquit Cellarius, *multis suspectum fuit, quod in Ciceronis libris non superest. At Livius dixit abominandam curiam, abominatus mentionem facinoris, abominati semimares, passivè.* Bene quidem, si à participiis ad verba demonstranda satis semper tutò proceditur. Tutiùs advocâsset Liv. l. 6. c. 40. *Hoc portenti non fiet in urbe Romanâ ut L. Sextium, atque hunc C. Licinium Consules, quod indignaris, quod abominaris, videas.* Ovidius l. III. de Pont.

epist. 1. *Si mea mors redimenda tuâ, quod abominor, esset.* Non attingo nunc illud *Horatii*: *Parentibusq; abominatus Hannibal*; ut nec illud *Livii l. 39. id prodigium abominantes*. De argenteâ ætate nemo dubitat.

XXIII. *Aliquatenus*, inquit Cellarius, *Vossio non probatur: probum tamen esse testantur optimi Auctores, Mela, Columella, Seneca, Asconius, Petronius, Quintilianus, Palladius*. Atq; his testimoniis, quæ in *Cogitat.* jam ante ego adduxeram universa, munitus, vocem hanc argenteo restituit ævo. Unum miror, cùm post me Auctores bonos ita sollicitè excusserit, ut in *Præfat.* asseverat, cur non potiùs aurei seculi declarârit sobolem. Disertè enim Cicero l. 12. ad Attic. epist. 22. *Quod autem homines à me postu-*

lare

lare scribis, ut Romæ sim, neq; mihi, ut absim concedere, aut aliquatenus eos mihi concedere, jam pridem scito esse, cùm unum te pluris, quàm omnes illos putem.

XXIV. *Cardinalis*, inquit Cellarius, *vox inferioris latinitatis, judicante Salmasiô, & principalibus tribus rebus, ventis, virtutibus, & Episcopis urbis Diaconis tribui solita*. Ergo fugit utriusq; diligentiam illustris *Vitruvii* locus *Architect.* l. 4. c. 6. *Fores*, ait, *ita compingantur, ut scapi cardinales sint ex altitudine liminis totius duodecimâ parte*, Ita optima editio *Joannis de Laet*, Amstel. 1549.

XXV. Vox *Cellarii*: *Pluralem hunc*, Cœli, *poeticum dicam, an Christianum, dubius sum. Ex Poetis profanis ferè solus Lucretius eo usus est. Inter fragmenta Ciceronis vulgò leguntur ex ejus Hortensio*

hæc

hæc verba; Epicurei volunt plures esse cœlos. *Desumpta sunt ex Servio, sed Vossius contendit verba Servii corrupta esse, & transposita, nec Ciceronis nomen ad hanc sententiam pertinere. Accedit auctoritas Cæsaris, qui libris de Analog. ut Gellius l. 19. testis est, negavit cælum multitudinis numero appellari. Quid si veró Philosophis ita liceat dicere, sicut de mundis infinitis quidam dispùtârunt, cùm tamen unus sit, & singularis? nos autem hoc loco de frequentiore usu verbi agimus, quo cælorum in omni ferè sermone fit mentio. Et hunc putamus ex Ebraismo, vel Aramæâ linguâ originem traxisse*. Hîc distinctè progrediendum. 1. *Lucretium* Epicuri dogmata sectatum esse constat, atq; scripsisse l. 2.

Quis pariter cœlos *omnes convertere, & omnes*

Igni-

Ignibus æthereis terras suffire feraces.

An autem *Tullii* verba sint illa, quæ *Servius* adducit; *secundùm Epicureos, qui plures esse volunt cœlos*, an unius *Servii*, video dubitari, affirmante *Mureto*, *Sigonioq;* negante *Vossio*. Vel ideo tamen potiùs accesserim *Mureto* atq; *Sigonio*, quòd sciam non modò *Tullium* operi *Lucretii* ultimã manum addidisse, adeoq; scivisse ad unguem *Lucretii* hunc locũ, sed, quod palmarium, quia non dissimilia alibi apud *Tullium* lego. Certè in *Timæo*, ab eo latinè reddito illa hodieq; exstant: *Rectenè unum mundum dixerimus, an sint plures, an innumerabiles, dictu verius & melius.* Vbi qui plures *mundos* agnoscit, plures etiã cœlos videtur agnoscere, plures-que soles. Et Lucret. l. 5. *In variis mun-*

mundis, varia ratione creatis. Accedit & alius *de plural.* locus Cicer. ad Famil. l. 9. c. 26. *Ille Baro* inquit, *te putabat quæsiturum, unú cœlum esset, an innumerabilia, quid ad te?* Et quidem *innumerabilia* agnoscunt exemplaria, quæ videre licuit, omnia, *Rob. Stephani, Manutiorum, Gruteri, Schrevelii, Lambini, Badii, Ascensii, Caroli Stephani, Hervagianum*, &c.

2. Mens *Cæsaris* de Analog. ex *Gellio*, hæc est: *Neq; cœlum, triticumve, neq; harenam multitudinis significationem pati.* Verùm eodem loco *Gellii* notamus eruditum quēdam, illustremq; Poëtam Cæsari contradicere, vox ejus *Si à Cæsare*, inquit, *jus provocandi foret, ego nunc ab hoc Cæsaris libro provocâssem.* Et quid ni hodie provocetur, cùm & harenas arentes dixerit *Horatius*, &

mol

molles harenas *Ovidius*, & flaventes harenas *Virgilius*. Iniquè etiam dicitur *triticum non pati multitudinis significationem*, quippe hordea ausus est scribere *Virgilius*, & frumenta *Cicero*; unde hîc tritico nihil deest præter usum Auctorum. Tandem & plures *cœlos* esse credidere Epicurei, & adstruunt sacra Oracula, unde *cœlum* non potest non *pati multitudinis significationem* eadem libertate, quâ mundus, de quo ita *Val. Max.* l. 8. c. 14. *Anaxarcho ex auctoritate Democriti præceptoris* innumerabiles mundos *esse referenti, heu me, inquit Alexander, miserum! quód nè uno quidem adhuc potitus sum.* Et *Lucretius* l. 5. ut ante dictum,

In variis mundis variâ ratione creatis.

Hinc &, tradente *Ramo*, l. 9. schol.

Gram.

Gramm. magnæ jam olim turbæ hoc nomine adversus Cæsarem à Palæmone exortæ sunt. Et quî potuere Veteres certâ proprietate loquendi, ignorare plures cœlos? cùm disertè ita *Florus* l. 4. c. 12. *Ipse hominum color*, inquit, *ab alio venire cœlo fatebatur.* Hinc & terras alio sole calentes inducit *Horatius*.

XXVI. *Commodare*, pro *mutuum dare*, improbatum *Vossio*; defensum à me in *Cogitat.* locis duobus ex *Tullio*, item *Livio*, *Asconio*, *Quintiliano*. Adstipulatur hîc *Cellarius*, nunc duntaxat adiicere libet illud *Ovidii* l. 1. de Art. Amandi:

Quod nunquam reddas, commodet, usq; roga.

Compositio, in usu medicinali probatur à *Cellario* loco Ciceronis, ubi *compositiones unguentorum*,

torum, item loco *Celſi*; hîc non inutile erit adjungere illud *Senecæ* l. 4. de Benefic. c. 28. *Compoſitiones remediorum ſalutarium*, inquit, *nemo ſuppreſſit, ne ſanarentur indigni.*

XXVII. Confundi, pro pudore affici *ſacris ſcriptoribus uſitatiſſimum. Latinis priſcis eſt* miſceri, perturbari; *quomodo* confuſus *Apulejo*, eſt erubeſcens. Hæc *Cellarius*. At verò qui pudore afficitur, hac parte etiam perturbatur, & ſæpe erubeſcit, aliquando pallet; ſpiritus enim ejus antea quieti, à nuncio triſti, à jacturâ, ab opprobrio, aliis cauſis ita ſubitò perturbantur, & excutiuntur ſedibus ſuis, ut confertim jam in vultum proruant, ruboremq; exprimant, & lacrymas, jã in ſe mutuò velut colliſi propemodum exſtinguantur, quod

in

in gravissimâ animi perturbatione, metu vicinæ mortis, tristitiâ summâ solet contingere. Quibus ideoq; animi pertubationibus violentis *confundi* tribuitur convenienter, sive pudor absit, sive conjugatur, idq; præeunte optimo quoq; scriptorum antiquorum. *Livius* l.30. c. 14. Postquam Scipionem induxisset castigantem severâ oratione Masinissam ob festinatas cum Sophonisbâ, inimici Regis uxore, nuptias, inter cætera adiicit: *Massinissæ hæc audienti non rubor solùm suffusus, sed lacrymæ etiam obortę: & quùm se quidem in potestate futurum Imperatoris dixisset, ex prætorio in tabernaculum confusus concessit.* Vbi *confusus* designat habitum omnem pudore externati Masinissæ. Iterum *Livius l.*35.15. *Rex mærore recenti confusus disceptatio-*

tationem cum legatis fugit, hoc eſt, pudibundus ob recentem fugam. Idem *Livius* l. eodem, cap. 35. *Colligit & ipſe animum confuſum tantæ cogitatione rei. Idem* 41. c. 14. *C. Cornelius cùm templo egreſſus eſſet, paullo poſt rediit confuſo vultu. Idem* l. 45. c. 42. *Hæc tanto dicta animo magis confudere audientium animos*, hoc eſt, pudori fuere auribus, paullò ante triumphum negantibus. *Ovidius* epiſt. 21. ubi ita Cydippe;

> *Nomine conjugii dicto* confuſa pudore
> *Senſi me totis eribuiſſe genis.*

ubi cùm erubeſcentem ſe, & pudibundam declarat, *confuſam* fuiſſe agnoſcit.

Iterum *Ovidius* l. Triſt. 3.

> *Vos quoq; ſi fas eſt*, confuſa pudore *repulsæ*
> *Sumite plebejæ carmina noſtra manus.*

Seneca l. 2. de Clemente c. 5. *Non potest autem magnus animus esse, si metus & mœror* confundit. *Seneca Trag.* Octav. *act.* 3.——— *sed quid patrios*

Sæpe penates respicis udis
Confusa *genis*?

Idem Hercul. Oet. act. 2.

Secretamentis ore confuso *exerit.*

Quintilianus l. 12. c. 5. *Sciat verecundiam à me reprehendi, quæ est timor quidam reducens animum ab iis. quæ facienda sunt, unde* confusio, *& cæpti pœnitentia, & subitū* silētiū. Quintil. Declā 2. *Hærens, & totâ malorum suorum cogitatione* confusus. *Columella* l. 10. de rosâ —— *Ingenuo* confusa *rubore.*

XXVIII. Consiliari *semibarbaro Pauli Diaconi seculo accensuit Vossius. Esse autem antiqui generis, Cl. Buchnerus additis ad Fabrum,* edo-

edocuit ex Horat. de Art. Poet. consilietur amicis, &c.3.Od. 3. consiliantibus Divis, & Cæsar 3. Civ. consiliandi caussâ, & post: Hæc consiliantibus eis. Ita quidem *Cellarius*. Equidem plura hîc adducuntur exempla, sed pleraq; ambigua. Nam primum illud ex *Horatio* in optimo quoq; exemplari, etiã ultimo *Bondii*,& *Schrevelii* ita expressum est:

Ille bonis faveatq; & conci-
lietur amicis,
Et regat iratos...

Loca *Julii Cæsaris* non leguntùr l. 3. bell. Civ. sed l. 1. quæ itidem suspecta reddit varians lectio : sanè *Hotomannus* in edit. Lugdun. Anni 1574, disertè ibidem legit *consultandi causa*, & *consultantibus eis*; vocemq; *consiliare* Longobardicam appellat. Eodem modo expressit Franco-

fur-

furtensis editio *Jacobi Stradæ*. *Aldus Manutius* agnoscit se in aliis MSStis legere *consultandi*, in aliis *consiliandi*. Verùm *Tacitus* l. 5. Annal. ita: *Et rediere omnes Bononiam rursus* consiliaturi; si secura esset lectio. Sunt tamen qui & hic habent *consulturi*, & *Jac Gronovius* in Not. ad Tacitum. *consilituri*. *Consiliantibus* tamen satis cõstanter legitur apud *Horatium*, nisi suspicari liceat, scripsisse Horatium *consilia habẽtibus*, ita enim metro nulla vis fiet, & *Henr. Stephanus* ad marginem loci hujusHoratiani ita explicat. Fac nihilominus *Horatium* agnoscere *consiliantibus*, quis inde ausit fabricare *consiliari*, aut *consiliare*, præsertim cùm sine regimine proponatur? Nec tutò producitur illud *Tullii* ad Attic l. 15. c. 10. *Tu quid egeris tuâ cùm*

tri-

tristi, *tum etiam difficili ad* consiliandum *legatione, vehementer expecto*. Lambinus enim ibi legit *conciliandum*; editio Amstelred. nitida Anni 1642, *ad consilium dandum*.

XXIX. Contemptus *substantivum*, dignum videtur *Cellario*, quod vindicetur; licet satis, me Judice, vindicatum sit in Foro Romano à *Livio*, *Lucretio*, *Quinctiliano*, *Silio*. *Cellarius* jussi roboris gratiâ addit è *Julio Cæsare* locum, & è *Livio* unum, & alterum. Si tamen & aliud testimonium audire vacat; prodeat *Ovidius* Metam. l. 13.

Atque ego contemptus essem patientior hujus
Si fugeres omnes.

Ex uno præterea *Senecâ* in eandem sententiam vel exempla viginti in medium poterant afferri.

XXX. Cor *pro animo*, & *ratione*, inquit Cellarius, *non est planè Germanismus. Cicero dixit stuporem cordis. Lus. Priap. Nam sensus mihi, corque defuisset. Phædrus, Caramque habendi penitus corde eraserim. Tamen vulgata nostra* ex toto corde, ex cordis penetralibus, *sub alio quovis Cœlo, quàm latino nata esse arbitror.* Non tamen admodum dissimiliter boni Auctores. *Ovid.* epist. 19.

Effice nos plures evicta per æquora lapsus,
O penitus toto corde *recepte mihi.*

Imitatus est, quisquis ille fuit, recentior *Cornel. Gallus* eleg. 4.

Omnia collustrans toto me corde solutum
Prospicit afflantem, nec meminisse mei.

Nec iniquè *ex ante totum* collo-

locari, vel *Celsus* ostenderit l. 6. c. 9. *Vinum*, inquit, *ex toto circumcidendum est*. Et *Lucretius* l. 1.

Ex adyto tanquam cordis responsa dedere.

Sed de *toto* iterum. Conveniũt apprimè in similibus boni scriptores. *Catullus* Argonaut.

--- --- toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, totâ pendebat perdita mente.

Idem ad Mallium Carm. 69.

---- ---- Tota de mente fugavi
Hæc studia.

Idem Carm. 87.

Nulla est in toto corpore mica salis.

Silius Ital. l. 10. ---- ---- *totis mentibus actam*
In cædes aciem.

Alioquin *cor* frequens pro *animo* & *ratione*. *Plautus* Trin. act. 2. sc. 1: *Multas res in meo corde verso.*

Idem Mostell. act. 1. sc. 2. *Atque in corde meo eam rem volutavi.* Sic *Terentius* Hecyr. 3. sc. 2. *Et cura ex corde excessit.* Pari ratione *Lucretius* l. 5.

Namque aliud ex alio clarescere
corde videbant.

Idem l. 6. *Cùm genuere virum tali cum corde repertum.* Sic & antiquissimi Latini, quod vel declaraverit vetustissimũ marmor olim Faventiæ conspectum, in quo hæc legas: *Hospes, quod deico, paulum est, asta & pellege, heic est Sepulcrum heu pulcrum pulcrai fæminai, nomen Parentes nominarunt Claudiam, suom mareitum corde deilexit sovo, gniatos duos creavit, horum alterum in terrâ linquit, alterum sub terrâ locat, sermòne laepido, tum autem incessu commodo, domum servavit, lanam fecit, dixi, abei.* Sed nè illud *ex corde*, pro *ipso corde*

de alienum æstimetur, similes locutiones apud *Plautum* & *Tullium* frequentes sunt, *ex animo* amicus, *ex animo* amare, *ex sua voluntate* facere, &c.

XXXI. *Cordatus* pro *animoso* barbarum est, sapientem enim & solertem significat. Ita *Cellarius*, & *Vorstius*. Nec dubium mihi est, quandoq; rem sic se habere; neutiquam tamen illud perpetuum; cùm facilè appareat, ideo dici *cordatum*, quia cordis proprietates, quas inter animosa fortitudo, retinet. Quænam autem sint illæ, rotundè edisserit *Ovidius* l. 1. Fastor.

Deque meo pavidos excute corde metus.

Item Trist. l. 3. eleg. 3.

Quam potes, extenua, forti mala corde ferendo.

Virgilius quoque l. 5. Æneid.

 le-

--- --- lectos juvenes, fortissi-
corda
Defer in Italiam.

Sed & res ipsa loquitur in A-
pocolocynth. Claud. apud Sen-
cam:

Cecidit, pulchrè
Cordatus *homo,*
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior *orbe.*

Ubi si pro *cordato* substitueris *sapientem*, aut *solertem*, perierit vis omnis sententiæ, quæ *fortissimum* fuisse declarat. *Plautus* milit. glor. act. 4. sc. 2. Dicitò doctè & cordatè, ut cor ei saliat; neque enim cor salit, aut alacriter movetur, nisi ab animosiori alloquio. *Idem* Pœn. act. 1. sc. 1. *quas tu sapienter, doctè, &* cordatè, *& cautè mihi reddidisti* opiparas. operâ tua.

XXXII.

XXXII. Crux *pro dubiis & adversis rebus, seu calamitate barbarum est. Non nego, Latinis etiam tralaticium verbi usum fuisse: id tamen scio ad furcam, & patibulum eos respexisse, quod nostri negligunt, præsertim in sermone Ecclesiastico.* Hæc *Cellarius.* Ego verò nō satis assequor, quid hîc peccetur in sermone Ecclesiastico, quocunq. demū respiciant, dummodo locutiones Veterū Romanorū eodē sensu imitentur. Et quò respiciēt Christiani libentiùs, quàm ad illud infausti generis lignum, in quo pependit obsequentissimus Cruciarius noster, ut amorem cœlestium in mediis calamitatibus nobis ingeneraret. Quamquam autem Crux apud Veteres unum genus supplicii fuerit, sed & illud in alias atq; alias species divisum, Vocem tamen ipsam ad

quodvis supplicii genus non rarò extendebant, unde *cruciare* & *cruciatus* ab optimis scriptoribus ad designadum omnem animi, corporisque dolorem adhibetur. Sed quia *Cellarius* potissimum de *Cruce* agit, inspiciamus illud *Martialis* l.10. epigr. 72.

Sed si non fias quadrante beatior uno

Per gemitus nostros, ingenuasq; cruces.

ubi molesta sibi & calamitosa officia togata Cruces appellat, ut Epigramma intuenti liquet. Sic *Terentius* meretrices, quæ verè fundi juvenum calamitates sunt, *cruces* nominat, ita enim *Eunuch.* act. 2. sc. 3. *An id flagitium est, si in domum meretriciam deducar, & illis* crucibus, *quæ nos, nostramque adolescentiam habent despicatam, & quæ nos sẽper omnibus* cruciãt *modis,*

dis, nunc referam gratiam, atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur? Apud *Plautum* Aulul. act.3. sc.5. fæmina, quæ importunè aliquid postulat, *mala crux* vocatur, quod calamitosum sæpe rogando., & obtundendo reddat. *Plautus* Bacch. act. 3. sc. 2. *Quæ te* mala crux *agitat*? Columella l.1. c.2. *Nam summum jus Antiqui summam putabant* crucem.

XXXIII. Damnum pati *in Famiano carpit Scioppius, sed injuriâ. Nam Senecæ est, & Lucani. Fertur in Livio etiam hæc phrasis observata, cujus si locus libro, & capite definito monstratus fuerit, poterunt ex hac classe* (argentei seculi) *in aureum genus remitti hæ vindiciæ.* Hæc *Cellarius.* Quemadmodum Vir Clariss. *Senecæ* & *Lucani* loca diligentiæ meæ debet,in *Cogitat.* ita facilè patiar, ut Livianum te-

stimonium evidenter etiam mecum recognoscat. Scripseram in Append. *Quin & amicè monuit illustris Marquard. Gudius se in T. Livio eandem phrasin observâsse.* Unde excitatus *Cellarius* quæsivit haud dubiè, sed frustra. Ergo præibo viam, in honorem amicissimi *Gudii*. Ita *Livius* l. 22. c. 41. *Annibal id damnum haud ægerrime pati : quin potiùs credere, velut inescatam temeritatem ferocioris* Consulis, *ac novorum maximè militum esse*. Ita emendatissima quoque editio *Gronoviana*. Addam & aliũ è *Lucano* locum l. 10.

Inde plagas Phœbi damnum, non passus aquarum

Præveheris.

XXXIV. *Defectus, a, um* latinè dici, ostendi contra *Scioppium* variis bonorum Auctorum testimoniis, quæ ut approbat *Cellarius*,

rius, ita monet in loco *Julii Cæsaris* à me adducto nonnullos superiore seculo codices variare. Igitur nunc aliud testimonium adduco in robur sententiæ meæ ex *Tibull.* 2. el. 5.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.

Sic *Tibullus* editionis ult. Anni 1680. Trajectinæ, ex recensione Viri eruditiss. *Jo. Georg. Grævii.*

XXXV. Deprecari *priscis idem est, quod precari. Justinus* 2. 9. *dilationem mortis deprecabatur. Cicero* 6. *Rep. Invidiam deprecabatur, id est, Gellio interprete, propulsabat. Nostratium verò usus, abbitte thum, in barbarismis scribendus est.* Hactenus *Cellarius.* Certum est. Auctoribus *deprecari* idem

quandoq;esse,quod operosè precari, quandoq; idem, ut *Gellius* ait, ac *quasi propulsare & defendere*, non illud tamen officit,quo minùs sæpe etiam usurpetur pro vulgati sermonis notione, *at giere afbit at afbede: Jul.Cæsar l.* 7. bell. Gall.*Iis cognitis, & Litavici fraude perspectâ Ædui* (ob rebellionem recentem ab exercitu Cæsaris circumfusi) *manus tendere,& deditionem significare, & projectis armis mortem deprecari incipiunt.* Quid evidentius? *Ciceronis* est post redit. ad Quirites, *adesse alicui ad deprecandam eius calamitatem*. Iterum *Cicero* ad Famil. l. 4. epist. 7.de M.Marcello: *Hic pro te unius sollicitudines,unius etiam multæ, & assiduæ lacrymæ* C. *Marcelli fratris optimi deprecantur. nos curâ & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quòd*
jus

jus adeundi, quum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus. *Deprecatur*, hoc est precando avertere student iram Cæsaris. Sed & ipse *Tullius* egebat tali amico apud Cæsarem, ut qui Pompejo adhæsisset. *Idem* ad Attic. l. 11. c. 6. *Quintum fratrem audio profectum in Asiam, ut deprecaretur.* *Ovidius*. Pont. l. 1. eleg. 2.

Sæpe precor mortem, mortem quoq; deprecor idem,
Nè mea Sarmaticum contegat ossa solum.

Utcunq;enim *Buchnerus* credat, *deprecari* hîc idem esse, atq; detestari, abominari, refugere, omnis tamen gratia acuto dicto ita perierit; quæ redit, si hoc modo locutionem interpreteris; sæpe precibus mortem invoco, sæpe precibus eandem declino, nè Sarmatum oræ immoriar. Iterũ

Ovi-

Ovidius Faſt. l.2.de Arione: *Ille metu vacuus, mortem non deprecor, inquit, Sed liceat ſumptâ pauca referre lyrâ*. Rurſus *Ovidius* Metam l. 2. cùm Phaethon precatur, uti liceat ſibi currui Solis inſidere, ſol pater, quantum poteſt, precando avertit filii inſtitutum, hoc modo exorſus:

Deprecor hoc unum; quod vero nomine pœna,
Non honor eſt, pœnam Phaethon pro munere poſcis.

Senaca de Conſol.ad Helviam: *Omnes non pro Marcello*(tum exule) *ſed pro ſe deprecari videbantur, nè exules eſſent, ſi ſine illo fuiſſent.* *Idem* de Benef. l. 3.c. 25. *Bello civili proſcriptum dominum ſervus abſcondit: & cùm annulos ejus ſibi aptâſſet, & veſtem induiſſet, ſpeculatoribus occurrit: nihil ſe deprecari, quò minùs imperata peragerent,*

rent,

rent, dixit. *Lucanus* l.7. --- *ultima fata*

Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,

Ne discam servire senex ---- *Curtius* l.5. c. 3. *Itaq; triginta oratoribus missis ad deprecandum; triste responsum à Rege redditur, non esse veniæ locum.* Et mox: *Adjecit Sisygambis, deprecationem pro illis, non convenire fortunæ, in quâ esset. Vell. Paterculus* l.2. c.86. *Victoria fuit clementissima, nec quisquam interemptus, nisi paucissimi, & ii, qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Suetonius* in Caligula, c. 33. *Collaudans subinde vocem deprecantis, quasi etiam in gemitu prædulcem.* Atq; *Idem* postea in Vitellio: *Alterius pene duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos.* Quintilian. Inst. l.5. c.13. *Patronus excuset, deprecetur, molliat.* Et

mox:

mox: *Deprecatio est sine ullà specie defensionis.* Confer. *Quintil.* l.7. c. 4. *Plautus* Capt. act. 3. sc. 3. *Neq: deprecatio perfidiis meis, neq; malefactis fuga est.* Tacitus Annal, l. 1. *Centesimam rerum venalium deprecante populo, edixit militare ætarium eo subsidio niti.* Et frequẽter aliàs *Tacitus. Deprecari* pro *imprecari* Val. Max. est l. 4. c. 3. Sed ad rem. *Seneca Trag.* Phœniss. act. 1.

In hunc ruamus (torrentem) *dum prior, quò vis eo;*
Non deprecor, non hortor.

Sic frequenter *deprecatio*, & *deprecator* capiuntur. Quid sit *deprecatio*, in Oratoriis fusè persequitur *Quintilianus l.* 5. *c.* 13.& *l.* 7. *c.* 4. *Cicero* ad Famil. 2.epist. 13. *Post hoc negotium , & temeritatem nostri Dolabellæ,* deprecatorem *me pro illius periculo prębeo.*

Item

Item ad Famil.8. epist. 16. Cœlius ita Ciceroni: *Non mehercule erit* (tuæ apud Cæsarem frementem irâ) *deprecationi locus*. *Cicero* ad Attic. l. 11. epist. 16. *Achaici etiam Fusio spem deprecationis afferunt*. Cicero pro L. Flacco: *Sperabam potiùs Flacci me adjutorem futurum, quàm miseriarum deprecatorem*. *Idem* l. Attic. 11. epist. 7. *Quintum filium vidi, qui Sami vidisset, patrem Sicyone; quorum deprecatio est facilis*. *Idem* ad Attic. l. 11. epist. 8. *Quintus misit filium, non solùm sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei*. Hirtius l. 8. bell. Gallic. *Videtur recusatio mea intertię deprecationem habere*. *Plautus* Captiv. act. 3. sc. 3. *Nec deprecatio est perfidiis meis*.

XXXVI. Erupit in hæc verba, *ut vulgò usurpatur à tyronibus*, *ali-*

aliquid vernaculi olet. Erumpere enim impetum & conatum magnū significat, qui non in quovis sermone est. Hæc *Cellarius*; qui & in *Antibarbaro*; *hac phrasi* inquit, *stylum Germanismi maculâ contaminant.* Id providè, & circumspectè, si quidem sæpius, quàm ratio postulat, locutio inculcetur, id quod neq; Germanis putârim usque adeo usu sæpe venire, cùm sæpissimè affectus verbis conjungantur. Est igitur quod adjiciā, Latinos olim neq; ab eâ abstinuisse, licet non semper impetū vehementiorem unâ significatū voluerint. *Seneca* l. 2. de Clem. c. 1. *Vocem*, inquit, *generosam* (Neronis) *magni animi, magnæ lenitatis; quæ non composita, nec alienis auribus data subitò erupit: Vellem nescire literas. Idem* l. de Brevit. vitæ c. VI. *Sed his querelis*

lis nec alios mutaverunt, nec se ipsos. Nam cùm verba eruperunt, affectus ad consuetudinem relabuntur. Neq; multum abludit illud *Ciceronis* l. 1. ad Quint. fratr. epist. 2. *Etenim intervenit nonnullorum querelis, quæ apud me de illo ipso habebantur, & sentire potuit sermones inquorum in suum potissimũ nomen erupere.* Quintilianus Declam. VI. *Si sic properaret erumpere*, id est, eloqui. *Idem* Decl. 18. *In fidem erumpturæ vocis affertur, ut fateri videaris invitus. Idem* Declam. 19. *Quicquid erumpere posset in proclamationem, parricidio peractum est.* Et ibidem: *Facile prorumpis in opprobria.* Statius Sylv. l. 4. ad Marcell.

Talis cantata Briseide venit Achilles
Acrior, & positis erupit in Hectora plectris.

Pe-

Petronius Tragurianus: *Dum ancilla restitans*, inquit, *in hæc erupit.*

XXXVII. Exaudire, *ethiren*, *quasi oppositum sit simplici audire*, *barbarum est*. *Idem enim utrunque significat*, *saltem alterum perfectè audire*. Ita *Cellarius*. Neque id perpetuum est, sed sæpe idem designat, quod audita benigne excipere, audiendo expugnari. *Ovidius* l.2. de Ponto Regi Cotyi scribens ita infit:

Supplicis exauditi, juvenis mitissime, vocem:
Quamque potes profugo, (nam potes) affer opem.

Idem Metam. 11. de Orphei cantu furentibus neglecto.

--- --- *tum denique saxa*
Non exauditi rubuerūt sanguine vatis.

Audierant quidem inferi, sed

eo

eo tamen cantu non patiebantur ſe ad miſericordiam inflecti. *Idem* Metam. l. 13.

--- --- tantùm miſerere preceſq;
Supplicis exaudi, tibi enim ſuccumbimus uni.

Lucanus l: 6. *Exaudite preces, ſi vos ſatis ore nefando,*
Pollutoque voco ---- ----

Idem paullo poſt: *Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.*

Statius l. 1. Theb. *Exaudi, ſi digna precor.*

Seneca l. 4. de Benef. c. 4: *Oſtendit Deum exaudire precantium voces, hoc eſt,* ut ipſe explicat, *beneficia orátibus dare. Seneca* Trag. Hippolyt. act. 2. *Miſerere, tacitæ mentis exaudi preces.*

XXXVIII. Hactenus de tẽpore, *vix probæ notæ eſt. Tacitus quidem*: *Diſpecta eſt & Thule, quâ hactenus nix & hyems abdebat.*

Ali-

Aliter verò. Antiquiores, præsentim Cicero, *quibus loci adverbium est, maximè in libro & scripturâ; de tempore usurpant Adhuc.* Hæc *Cellarius*. Nisi tamen aliquid tribuendum *Grammaticis*, quibus *hactenus* non modò *loci* sed & *temporis* adverbium est. De quo ut certiùs aliquid definiatur, prodeat in scenam *Virgilius*, qui ita Georg. 2.

Hactenus arvorum cultus, & sydera cœli;
Nunc te, Bacche, canam.

Ubi sensus is esse nequit, *ad hunc usq; locum* cecini cultus arvorum; neq; enim ibi ullius loci fit mentio, sed tempus indicatur, quo in prioribus versibus percensendis exacto librũ secundum aggredi parat. Hinc ut claudat librum secundum, & ad tertium deniq; transeat, manifestè in *tempore* definit: *Et*

Et jam tempus equum fumantia solvere colla,

His adjice particulam *nunc*, quæ utiq; temporis eſt, & validè adſtruit, notam temporis anteceſſiſſe, & ſequi tempus aliud. Alioquin, ſi *hactenus* hîc loci eſſet adverbium, ſcripſiſſet haud dubiè non *nunc*, ſed *hoc*. Iterum *Virgilius* Æneid. 11. eodem sẽſu:

Hactenus, Acca ſoror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigreſcunt omnia circum.

Sic & *Ovidius* l. 1. Art. Amand.

Hactenus, unde legas, quod ames, ubi retia ponas,
Præcipit imparibus vecta Talia ratis,
Nunc tibi quæ placuit, quas ſit capienda per artes,
Dicere præcipuę molior artis opus.

Pro-

Propertius l. 4. c. 1.

Hactenus historiæ, (narratæ mihi sunt) *nunc ad tua devehor astra.*

Plinius l. 28. c. 8. *Hactenus de externis, nunc revertemur ad orbem nostrum. Quinctilianus* Instit. l. 4. c. 2. *Sed hæc hactenus; nunc quæ sit narrandi ratio, subjungam*. *Suetonius in Nerone* c. 34. *Matrem hactenus primò gravabatur, mox & honore omni, & potestate privavit. Statius* Sylv. l. 5. *Hactenus alma chelys tempus nunc ponere frondes Phœbe tuas.*

XXXIX. Hodieq; *Etiã hoc Scioppius negat aureâ ætate quenquã dixisse. At dixit Livius* l. 1. *Hodieq; usurpatur idem jus, &c.* Rectè hæc *Cellarius*, sed me, in *Cogit.* viam præeunte. Addo nunc locũ aliũ ex Livii l. 5. c. 4. *Etruriam omne adversus nos concitare voluerũt, ho-*

hodieque id moliuntur. Quin & ex aureā *Vitruvius* l.10.c.7. *Hodieq;*, inquit,*Evāgelo sacrificium facit, &* *si non fecerit,pœnâ tenetur.*Item *Cicero* l.1.de Orat. *Posteà veró vulgó facere cœperunt , hodieque faciunt.*

XL. Hortamentū *Vossius in infimū censum retulit. Causam ejus suscipere potest Sallustius , Tacitus, Gellius, Lactantius, Symmachus. Video insuetis positum à Jano Laurenbergio , qui nullam , quàm Symmachi auctoritatem affert . Mihi veró liceat aliter censere, quia etiam*

Silius Italicus scripsit -- -- aspera quisque
Hortamenta sibi referat.

Hæc Cellarius . Locum *Silii* ego debeo Clar. Viro , ille mihi in *Cogitat.* loca Sallustii , Taciti, Gellii, Lactantii, Symmachi; quibus nunc superaddo , ut fortiùs retundatur *Laurenbergii* opinio,

Livium l. 7. c. 11. *Pugnatum* inquit, *haud procul portâ Collinâ est, totius viribus Urbis, in conspectu Parentum, Conjugumque, ac liberorum, quæ magna etiam absentibus hortamenta animi, tum subjecta oculis.* Ita etiã editio *Gronoviana.*

XLI Inducere animum. suum *Hoc loco barbarum aliquid & insuetum sonat pronomen suum, meum, &c. quo dempto phrasis est latinissima. Aliis etiam phrasibus pronomen malè adjicitur, ut tollere oculos suos, extendite manus vestras. At non malè, obire diem suum, quia Sulpitii est apud Ciceronem.* Hæc *Cellarius*. Ista verò mihi nimia religio apparet. Contemplemur usum scriptorum. *Plautus* Prol. Rud. *Atq; hoc scelesti illi in animum inducunt suũ.* Rursus *Plaut.* Cistell. act. 3. *Quanquã inuitate carebo, meũ animum inducã tamen, ut illud consulam*

sulam. Iterum Captiv. act. 1. sc. 2. *Nunquã istuc dixis, neq; animũ induxis tuum*. *Terent*. Heautont. act. 5. sc. 4. *Obsecro*, inquit, *mi gnate, nè istuc in animũ inducas tuum*. Iterũ *Terentius* Adelph. act. 1. sc. 1. *Mea sic est ratio, & sic animum ininduco meum*. *Idem* Andr. act. 5. sc. 3. *Cùm ita animũ induxit suum*. *Idem* Hecyr. act. 3. sc. 1. *Levia sũt, quæ tu pergravia esse in animũ induxti tuũ*. Tandem iterũ Adelph. act. 4. sc. 3. *Nunquam te aliter atque es, in animum induxi meum*. Obducat qui volet, Comicam esse phrasin, eoque non imitandam, ego nihil causæ video, cur non oporteat imitari cultissimos scriptores, sepositis archaïsmis & fictis ad ridendum vocibus; neque inania hîc sunt crepitacula *meus*, *tuus*, &c. sed rem oculis subjiciunt expressiùs; & proinde non modó

Comici his vocibus indulgent; verùm & optimi quique alij. Ita *Livius* l. 34. c. 2. *Atque ego vix statuere apud animum meum possum, utrum pejor ipsa res, an pejore exéplo agatur. Sallustius* in Orat. Catil. *Vos libertatem in dextris vestris portatis. Curtius* in Orat. Darii l.4. *In dextris vestris libertatem geritis. Lucanus* l.7. *In manibus vestris, quantus sit Cæsar, habetis. Virgil.*Ecl.8.*Et mutata suos requierunt flumina cursus.*

Ipse *Cicero* Orat. Catilin:2. *Eructant sermonibus suis cædem bonorum*. Sic Comici: *Plautus* Menæchm. act. 4. sc. 2. *Qui hodie forum oculis inspexi meis. Idem* Milit. act. 2. sc. 3. *Profectò vidi egomet duobus his oculis meis. Idem* Trin. act.2. sc. 1. *Hæc ego ago cum animo meo, & recolo. Idem* Truc. act. 1. sc. 2. *Neminem hodie mage amat corde & animo suo.* XLII.

XLII. Intercedere, *pro supplicare alicui pro aliquo, ut Cicero dixit, barbarum est. Nam verbum hoc tribunitii juris fuit, quo legibus & decretis contradicebatur. Idem sentiendum de derivato intercessor, & intercessio.* Hactenus *Cellarius*, qui & in *Antibarbaro* suo reddit *intercedere, protestiren.* Sed plures sunt hujus locutionis sensus, de quibus passimLexicographi.Neq; aliud vult prima ejus, & nativa Significatio, quam *in gerere se, medium se interjicere, interponere sententiam suam*, sive illud fiat supplicando, sive modestè, sive violenter contradicendo. Quia autem tribuni plebis abutebantur sæpe concessâ sibi potestate, & refractariè non rarò resistebāt Patrum sententiis (unde *Lucano* l. 1. *turbantes jura tribuni*) hinc per abusum sensim declinavit *Tò*

intercedere ad designandam austeriorem contradictionem. Neq; enim tribunis plebis id fuisse perpetuum satis ostenderint illa *Livii* l. 9. c. 8. Cùm Sp. Posthumius re ad Caudium infeliciter gestâ dedi se nudum, vinctumque hostibus postularet, ut initum à se fœdus aboleret, *Tentata*, inquit, *intercessio est à tribunis plebis*, hoc est, rogârunt, ut parceretur Sp. Posthumio, & Collegæ ejus, *non enim pro eo, quòd spondendo pacē, servassent exercitum Pop. Romani, pœnam ullam meritos esse*. Immò sublatam è Rep. tribunorum intercessionem ante mortem Pompeji *Suetonius* in Augusto tradit. Et deprecantibus hanc vocem convenire ex illo Cœlii ad Ciceronē facilè conficitur, l. ad Attic. 10. epist. 7. ubi ita Cœlius: *Nihil*, inquit, *nisi atrox, & sævum cogitat Cæsar, atque etiam loquitur: iratus*

Senatui exiit : his intercessionibus planè incitatus est:Non Mehercule erit deprecationi locus. Nimirùm supplicabat Senatus Cæsari pro restitutione in integrum *Tullii*, *M. Marcelli*, aliorum, sed nullum locũ initiò precibus relinquebat. Hîc nullus se opposuit tribunus plebis, nullus etiam apertè ausus est victori Cæsari contradicere. Cicero ad Attic. l.1. c.4. *Putamus enim utile esse, te aliquando iam rem transigere, mea intercessio & est, & fuit parata*, hoc est, interponam me ego, ut inter vos conveniat. Et quid nî hujus exemplo liceat Christiano dicere: *Intercessio Salvatoris est pro nobis parata*? Neque ferè aliter capienda illa *Suetonii* in Jul. Cæsare: *Ravennæ substitit* Cæsar *bello vindicaturus, si quid de tribunis plebis intercedentibus pro se, gravius à Senatu consti-*

tutum esset. Nempè intercedebant pro Cæsare, ut in Urbē reciperetur nō inglorius. Asperiùs fortasse rogaverant, sed hoc non princeps institutum erat Reip. ut tribuni plebis asperè, sed ut verè, ut liberè loquerentur, afflictis opem laturi. Alia vocis notio apud *Senecam* l. 2. de Clement. c. 6. *Quotiens poterit, sapiens fortunæ intercedet*. Cicero ad Attic. l. 6. c. 1. *Intercessit pro iis magna pecunia*. *Suetonius* in Tiberio c. 26. *Intercessit Tiberius, quò minùs in acta sua juraretur*. Tacitus Annal. l. 3. *Tiberius perstitit intercedere*. Tacitus Annal. l. 4. *Dictis dein sententiis, ut Serenus more majorum puniretur, Cæsar, quo molliret invidiam, intercessit*. hoc est, sententiis reliquorum, ut gratiam præstaret, clementer se opposuit. *Idem* Annal. l. 13. *Filium ejus Nerulinum ag-*

gressis

gressis accusatoribus per invidiam patris, & crimina reputandarum, intercessit Princeps, tanquam satis expleta ultione. *Idem* Annal. l.16. *Accusati post sepulturam, decretumque ut more majorum punirentur. Et Nero intercessit, mortem sine arbitro permittens.* Florus l.3. c.10. *Sed hærebat in vadis pugna, quum æstibus solitis cum ipso certamine subductus oceanus intercedere bello videretur.*

XLIII. Invisibilis, *Arnobii est*, *Prudentii*, *Lactantii*, *Macrobii*; *Cicero autem eleganter*, *quod oculorum effugit obtutum*. Hæc *Cellarius*, quæ jam ante in *Cogit.* expresseram. Sed cùm nihil ex argenteo producat seculo, libet nunc illud *Celsi* libr. 1. præf. adjungere : *Alia*, inquit, *si manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo iter claudunt.*

XLIV. Memini *sequente infinitivo præteriti temporis, improbat Agræcius. Fallitur autem vetus Grammaticus, Cicero enim pro Rosc. Am. Meministis me ita distribuisse initio causam; & pro Balbo: in columnâ æneâ meminimus post Rostra incisum & perscriptum fuisse.* Hæc *Cellarius*, & quidem bene, atq; opportunè; quod hîc eo libentiùs refero, quò constantiùs olim Parisiis illustris *Menagius* adversus me contendit, *Memini me legisse*, in barbaris habendum, cùm Cicero, & optimi quiq; ita: *Memini me legere.* Est quidem hoc frequētiùs, sed nec illud infrequēs, in cujus rei fidē addo illud *Ciceronis* l. de Clar. Orator. *Quin etiam memini me, cùm essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quòd ille tam*

so-

solutè egisset, tam leniter, tam oscitanter. *Seneca* l. de Provid. c. 5. *Hanc quoq; animosam Demetrii, fortissimi Viri, vocem audisse me memini.* *Idem l.* 2. de Clement. c. 1. *Ut de clementiâ scriberem, Nero Cæsar, una me vox tua maximè compulit: quam ego non sine admiratione, & cùm diceretur, audisse memini, & deinde aliis narrâsse.*

XLV. Mundus *ornatum, universi systema, cœlum, &c. latinis significat. In Ecclesiâ præterea sonat genus humanum, impiorum colluviem.* Hæc *Cellarius*. Verùm extra Ecclesiam ita etiam locutus est *Seneca* l. de Provid. c. 1. *Quæsisti*, inquit, *à me Lucili, quid ita, si providentiâ mundus ageretur, multa bonis viris acciderent mala?* ubi *mundum* significare genus humanum, res humanas, liquet ex sequenti Senecæ expli-

catione, sc. *id non fieri, ut mala bonis noceant*, &c. *Idem l.* de Tranquill. animi c. 2. *Fastidio illis esse cœpit vita, & ipse mundus*, id est, corporeæ hominum voluptates. *Seneca* 1. Svasor. c. 3. *Lacones, nisi succurritis, mundus captus est*, hoc est, Græci in potestatem Xerxis redacti sunt. *Seneca* Trag. Herc. Oet. act. 2. *Te, te, precor, quem mundus, & superi timent. Idem* Octau. act. 5. *Nullum pietas nunc Numen habet, nec sunt superi, regnat mundo tristis* Erinnys. Curtius *l.* 10. *c.* 9. *Hujus hercule*, (Principis Romani) *non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo*, hoc est, rebus humanis. At in *Lucano* nihil frequentius; l. 2. *conjuret in arma Mundus*. Et mox eodem libro: *Inconcussa tenens dubio vestigia mundo. Idem l.* 6.

Tot mortes habitura suas, usuraq; mundi

San-

Sanguine. Iterum eodem libro *6.*

Addidit, & quicquid mundo dedit ipsa veneni.

Idem l. 7.------ nulloq; frequentem Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam.

Idem l. 8. Et nomen quod mundus amat.

Idem l. 10. Sed neq: jus mundi valuit, neq; fœdera sancta.

Quin. & l. 7. cædem civium Rom. in acie Pharsalicâ vocat *funus mundi*, & prædari collectas latè divitias in castris Pompeii, appellat *spoliâre mundum.*

XLVI. Mutuò dare, mutuò sumere, *Scioppius barbarismi damnat. Borrichius videtur calculum adiicere: Non desino, inquit, ambigere utrum illud Vossii, mutuò dare, mutuò sumere apud Classicos extet usquam. Tutiùs ergo Ciceronianis*

nianis utemur, cui dedimus pecuniam mutuam; frumentum dedit civitatibus mutuum, pecunias sumpsisse mutuas. Hîc *Cellarius* meæ accedit sententiæ, in quâ eò usq; adhuc persevero, donec evidenti aliquo boni Auctoris exemplo convincar. *Interea non damno* mutuò accipere, mutuò diligere, quippe *Ciceroni* ita Plancus scribit, in Epist. Cic. ad Famil.l.10. epist. 4. *Fac valeas, meq; mutuò* diligas. *Seneca* Consol. ad Marciam *c.* 10. *Ita non est, quòd nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi: mutuò accepimus. Usus fructus noster est.* Sed neq; hîc legitur, mutuò accipere pecuniam, opes, vitam, &c.

XLVII. Nuncium *neutro genere expressum inculcaverunt. Servius, & Isidorus. Nonius lectum esse neutro apud aliquos non recep-*

tæ

tæ auctoritatis, sed doctos. Catullum quidem & *Tibullum pro neutro adduci, sed in Tibullo nuncia esse adjectivum; Catulli locum esse dubium, aut adulterinum. Utq; ita scripserit Catullus, dicendi rationem esse ἰδιωτικὸν, nec temere imitandam.* At verò non esse vocem *nuncia substant. ἰδιωτικὴν*, & propriam *Catullo*, ostendit inter alios *Seneca* l. 3. de Irâ c.10. edit, Gronov. *Quemadmodum*, inquit, *tempestatis ac pluviæ ante ipsas notę veniunt: ita iræ, amoris, omniumq; istarum procellarum animos vexantium sunt quædam prænuncia. Plinius l. 2. c. 84. Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventûs alicujus id prænuncium esset.* Idem l. 2. c. 27. *Quippe hæc ingentium malorum fuere prænuncia.* Ad summam, nuncius,a,um, semper quidem adjectivum est,

sed

ſed non raro ſubſtantive capitur, ut apud *Lucretium l.* 4.

> *Refrigeſcit enim cunctando plaga per auras,*
> *Nec calida ad ſenſum decurrit nuncia rerum.*

Et apud Lucret. l. 5. Zephyrus vocatur Veneris *prænuncius*. *Nonii* judicium, ut ſine judicio, parvi æſtimatur. Eſſe autem *Senecam*, & *Plinium* receptæ auctoritatis ſcriptores quis inficiabitur? *Tibullus* l. 3. Eleg. 4. ita:

> *Divi vera monent venturæ nuncia ſortis.*

quommodo legit editio Phil. Paræi, item Hanovienſis, & Scaligeriana anni 1600. Aliter quidem legit *Cellarius*:

> *Divi vera monent: venturi nuncia ſortis* &c.

De Catullo res evidentior eſt epigr. 64.

Ge-

Geminas, inquit, *Deorum ad aures nova nuncia referens*. Emendârit hunc verſiculum *Scaliger* ex ingenio, ſed conſtantiæ editionum tutiùs hîc acquieſcimus. Ita enim codex *Paſſeratii*, & *Raphelengii*, ut nos ſuprà expreſſimus.

Accedit teſtimonium *Plauti* Mercat. act. 5. ſc. 2. *Opta ergo ob iſtuc* nuncium *quidvis tibi*, ita enim MSSta Biblioth. Palatinæ, quod *Paræo* obſervatum, utcunq; nonnulli hodie legant *iſtunc*. Videtur & favere *Lucret. l.*4.

----- ſimulacra feruntur
In mentes hominum divinæ nuncia formæ.

Livius l.4.c.41.*Suppliciter orâs, nè ſe tam triſte nuncium ferre ad Cincinnatum paterentur*. Claudat agmen *Sedulius* l. 2. --- *Sævumq; tyrannum*
Grandia ſollicitis perturbât nûcia dictis. Sed

Sed hæc ita disputata non officiunt, quò minùs *nuncius subst.* masc. genere frequentiùs usurpetur.

XLVII. Posito, quod, &c. *latinitatis cadentis est; optimi Magistri dicunt fac, finge ita esse, &c. Post hos tamen Gellius videtur dubitatum illud* positum, *non dissimili modo posuisse. Tum deinde, ait, eodem ipso, quod omiserat, quasi posito, concessoq; ad confirmandum aliud utitur.* Hæc *Cellarius*. At diu antè *Cicero* in Fragm. Timæo, seu de Universo, ita: *Quam ob causam,* inquit, *non est cunctandum profiteri, si modò investigari aliquid conjecturâ potest, hunc mundum animal esse, idq; intelligens, & divinâ providentiâ constitutum. Hoc posito, quod sequitur, videndum est, cujusnam animantium Deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit.*

XLVIII.

XLVIII. Prædestinare, *quis ex profanis dixerit, non liquet ex Lexicis, quæ Theologicum verbum vocant. Codex quidem MSS. Corn. Nep. in Eumene habet,* prædestinaverat, *sed dudum suboluit eruditis legendum ibi* destinaverat. *Auctor tamen Panegyrici Maximiano & Costantino dicti dixit, prædestinabas.* Hactenus *Cellarius*. Sed quid necesse est è fæce haurire, cùm liceat ex aureis bibere fontibus? *Livius l.* 45. *c.* 40. *Quos filios prætextatos curru vehi cum Patre* (Paullo triumphante) *sibi ipsos similes prædestinantes triumphos, oportuerat*. Ita omnes editiones, *Sigonii, Glareani, Gruteri,* etiam *Gronovii.*

XLIX. Prævalere *Ciceronianū quidem non est, nec tamen propterea contemnendum, quia Livius Præfat. Operis dixit, Prævalentis*

po-

populi vires se ipsæ conficiunt: ac brevi intervallo Columella : firmissimis prævaluit corporibus. Hæc *Cellarius*. Verùm ex eo aurei seculi vocem conficere parum tutum, quia *prævalens, ut hic sine regimine*, nihil securè concludit. Aliàs *Livius* quoq; l. 5. c. 15. ita: *prævalens juvenis Romanus senem infirmum ad suos transtulit*. Illud quoq; apud *Catullum*, *prævaleo*, vocatur à *Scaligero* in dubium. Sed *Seneca* dubio omni in ætate argenteâ occurrit, l. 2. de Irâ, c. 19. *Refert quantum quisq; humidi in se, calidiq; contineat, cujus in illo elementi portio prævalebit, inde mores erunt*. Iterum *Seneca* l. de Tranquil. animi, c. 3. *Si prævalebit fortuna, & præcedit agendi facultatem. Sveton.* August. *Prævaluit, ut Augustus potiùs vocaretur.* Plin. l. 30. c. 1. *Magica ars in tan-*

tantum fastigii adolevit, ut hodieq; etiam in magnâ parte gentium prævaleat. Iterum *Plinius* l. 10. c. 6. *Vulturum prævalent nigri. Suetonius* in Nerone c. 33. *Britannicum, nè quandoq; apud hominum gratiam paterna memoria prævaleret, veneno aggressus est. Quintilianus* Institut. l. 4. c. 2. *Ad benevolentiam prevalere*. Tacitus Annal. l. 1. *Tuum erit consultare, utrum prævaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est*. Paucis, hoc verbo nihil tritius est apud Tacitum. Quin & *Columella* l. 1. præfât. *At Mehercule vera illa Romuli soboles firmissimis* prævaluit *corporibus*. Idem l. 1. c. 3. *Si fundus* prævaleat, *alliditur dominus. Suetonius*, *Ne ferox & impotens mulier & hoc genere gratiæ prævaleret. Idem* in Galba. c. 19. *Posse enim auctoritate & præsentiâ præ-*

prævalere. Vellejus Paterculus l.2. c. 118. Sed præualebant jam fata consiliis.

L. Proprius, *Sextus Rufus, mortem sibi propriâ manu consciuit. Marcellinus, scribendo propriâ manu. Veteres dixerunt, suà manu scriptum, meà manu. Proprius enim Ciceroni est, ad aliquem solú pertinens, tigenthumblich. allein gustandig.* Hæc *Cellarius*. Sed intueamur verba *Ciceronis* l. 7. ad Famil. c. 30. *Id enim*, inquit, *cujusq; est* proprium, *quo quisq; fruitur, atq; utitur.* At utitur, fruiturq;; opinor, quivis manu suâ. Sed ad exempla properemus. *Ovidius* Metam. l. 5. *Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas. Idem* l. 1 Metam.

Pertimuitque sonos, propriaque
exterrita voce est.

Horatius Sermon. l. 1.

Vel

Vel meritò, quoniam in propriâ non pelle quièssem.

Idem Serm. l. 1.

Qui nè tuberibus propriis offendat amicum.

Idem ibidem:

--- --- capsis quem fama est esse, librisque
Ambustum propriis.

Idem epist. l. 1.

Cultello proprios purgantem leniter ungueis.

Lucret. l.2. *Si quid proprio dat corpore motus*. Et postea: *Nec jaciunt ullum proprio de corpore motum.*

Plinius l.6. c.23. *Ichthyophagos Oritias, propriâ, non Indorum linguâ loquentes*. *Tacitus* Annal. 3. *Si propriâ irâ non impelleretur*. Quin & manus, quando translatè pro mediocri exercitu capitur, non aversatur epitheton *proprii*

prii. Tacitus Annal.l.3. *Propriam manum*, inquit, *Blæsus filius* duxit. Et Annal. l.12. *Ipsi manus propria pedites, eques è Sarmatis Iazigibus erat.*

LI. Redemptus à quo. *Passiva verba, quorum activa cum præpositione à construuntur, minùs rectè ad legem passivorum, quà & huic formæ præpositio addi solet, revocantur. V. gr. Dicimus redimere ab hoste captivos. Quod si passivo ablativum cum præpositione applicabis, non liberatorem, sed hostem significaturus es.* Iuvenalis Sat. 4. *Monstrum nullâ virtute redemptum à vitiis. Ergo minùs piè, nec satis latinè quidam scribunt. A Christo redempti sumus, cùm potiùs ipse nos à Diabolo redemerit.* Hæc *Cellarius*. Verum enimverò, *primò* nihil aliud interest, sive ad activam hic spectes formam, sive pas-

ad paſſivam, quidem in *a*, ab *ab* rei cardo vertitur; etenim illa prępoſitio in hac phraſi apud Veteres plerumque capitur pro noſtro *fra*, ut Germanico *von ihm ab*: Hinc ſive dixeris, *te captivos ab hoſte redimiſſe*, ſive *captivos per te ab hoſte redemptos eſſe*, idem dixeris. Et *ſæpe quidem ita Latini, præſertim aureæ ætatis*. Cicero ad Fam. l.2. epiſt.16. *Nulla eſt acerbitas, quæ non omnibus impendere videatur, quam quidem ego à Rep. meis privatis, & domeſticis incommodis libentiſſimè, vel ipſis iſtis, quæ me mones, ut caveam, redemiſſem.* Iterum *Cicero* pro Milon. *Pecuniâ ſe palam à Judicibus redemerat.* Atque Offic. l.2. *Liberales ſunt, qui ſuis facultatibus captos à prædonibus redimunt.* Rurſus *idem* ad Attic. l. 1. epiſt. 15. *Omnes rem manifeſtam illam redemptam eſſe à Judici-*

dicibus confitentur. Plautus Asinar. act. 3. sc. 3. *Redime istoc beneficio te ab hoc*. Sic Livius in nobili illa ratione adversus luxum fæminarum. *Volo tamen audire*, inquit, *quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant in publicum, ac vix foro se ac concione abstineant. Ut captivi ab Annibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum*? Neque aliter *Ovidius* Heroid. epist. 3.

Si tibi ab Atridâ pretio redimenda fuissem
Quæ dare debueras, accipere illa negas.

Idem in ibin.

Vel quæ, qui redimi Romano turpe putavit
A duce Puniceo, pertulit, ipse feras.

Tacitus Annal. l. 2. *Multos Angrivarii redemptos ab interioribus red-*

reddidere. *Sueton.*in Jul. Cæſ: *Se ab inquiſitoribus pecuniâ redimere cogebatur*. *Idem* in Galbâ. *Galbæ caput à lixis redemptum*. Plinius l.4. c.22. *Libertus qui rubri maris vectigal á fiſco redemerat*. *Idem* l.36. c.1. *Ab invidiâ fortunæ ſe redimi probat*, *ſi hoc unum doluiſſet*. Val. Maximus l. 5. c. 4. *Quo quidem uno tam pio dicto immanis, & barbara gens ab omni feritatis crimine ſe redemit*. *Secundò*, quamquam iſta exempla in gratiam *Clariſs. Cellarii* collegerim, non deſino tamen credere, & *piè & ſatis latinè* dici *nos á Chriſto redemptos eſſe*, quod evidentibus documentis oſtendere liceat, aliam quoque notionem in phraſi ſi *redimi ab* quandoque includi. *Suetonius* de illuſtr. Grammat. c. 19. *Scribonius Aphrodiſius*, inquit, *Orbilli ſervus*, *atque diſcipu-*

lus mox à Scriboniâ Libonis filiâ, quæ prior Auguſti uxor fuerat, redemptus, & manumiſſus docuit. Ubi manifeſtiſſimus hic ſenſus eſt, quod Scribonia (mota haud dubiè partim convenientiâ, partim ingenio ſervi) Scribonium redemerit, atque manumiſerit. Neque enim antè Scriboniæ mancipium erat, ſed Orbilii: *Quinctilianus* Declamat. 344. *Redempta meretrix à divite*; ubi tota Declamatio oſtendit, divitem redemiſſe meretricem, & donaſſe filio pauperis. *Idem* Declamat. 5. *Sævus & humani doloris artifex negavit à me poſſe duos redimi*, ideſt, per me, meo beneficio. *Idem* Declam. 257. *Si ab alio redemptus eſſet pater*, ſc. quam à filio, quippe filius captum patrem redemerat, ut ex tota Declamatione liquet. *Tacitus* Hiſt. l. 3. *Occidi cœpere*,

quod

quod ubi enotuit, à propinquis, affinibusque redemptabantur. Tertiò illud quoque *Cellarii* nimis liberale est: *Non de solo redimendi verbo, sed de aliis quoque, quorum activum cum præpositione A componi solet, hoc intelligendum esse*. Vtcunque enim in quibusdam contingat, neutiquam tamen, pro generali præceptione id admittendum. Ex. gr. *Virgilius* Ecl. 7. dixit — — *teneras defendo à frigore myrtos*. Item Ovidius 2. Trist. — — *defendor ab armis*. Et Cicero pro Frontejo: *provincia ab hostium populatione defensa*. In contraria tamen significatione usurpat idem *Cicero* ad Fam. l. 7. c. 30. *Bis enim est à me judicio capitis defensus*. Et ibidem epist. 32. *Possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur*.

LII. Remittere peccata. *Remit-*

mittere pœnâ latinissimè dicitur apud Livium, Plinium, Ciceronem. Ubi remittere peccata, ex sacris originem videtur habere. Hinc est, quod solis forsan Christianis receptum usu sit. Prudentius Apoth.

Do veniam morbis, simul & peccata remitto.

Nullum tamen in eo peccatum video, nec Christiani sine exemplo ita locutos, facilè persuaserint boni Auctores. Quid enim aliud est *scelus*, quàm peccatum? quid aliud *culpa*, quam peccatũ? *quid crimen, quid noxia aliud quàm peccatum?* *At Plautus* Mostell. act. 5. sc. 2. *Tranioni remitte quæso hanc noxiam caussa mea*. Rectè igitur Deus dicitur remittere peccata, quoties, ut Lucretius ait:

Præteritis commissa annis peccata remordent.

Et

Et *Seneca* Trag. Herc. Oet. act. 3.

Patet ecce plenum pectus ærumnis. feri.
Scelus remitto. dexteræ parent tuæ
Eumenides ipsæ.

Valerius Flaccus Argon. l. 3.

Ensifer hic, atraque sedens in ueste Celeneus.
Insontes errore luit: culpamque remittens
Carmina turbatos voluit placantia manus.

Lucanus l. 6.

Dedecus hic belli Magno, crimenque remisit.

Iterum *Lucanus* l. 6.

Crimina Romano tristis fortuna pudori?

LIII. Rotunditas. *Plinius crebrò dixit, quod contra eos notandum, rejiciunt; quicquid in Cicero-*

nis libris non est obvium. Hæc *Cellarius.* An ulli hodie, quod in Cicerone non est obuium, non immeritò dubitaverim. Fac tamen esse quosdam ita mente captos, sanè hoc vocabulum cùm jam diu in *Foro Romano* Plinii auctoritate defensum sit, requiritur jam ut ex aureo sæculo defensorè accersat. *Vitruvius* ergo vadem se sistit l. 9. c. 4. *Cursus,* inquit, *perficiũt ad Cœli rotunditatem.* Idẽ l. 10. c. 8. *Vnum porrecti, quem Græci εὐθεῖαν vocitant, alterum rotunditatis, quẽ κυκλωτὴν appellant. Adhuc Vitruvius* l. 10. c. 14. *Præterea ad latus affixum exstantem extra rotunditatem alterum dentem* &c.

LIV. Seculum, *id est mundus, Ecclesiasticis scriptoribus frequens est, sive ille universum significat, ut in* Sedulii *hymno: Beatus auctor seculi; sive statum impiorum, ut apud*

Pru-

Prudentium: *Vincla seculi, sunt impedimenta pietatis*. Hæc *Cellarius*. At vero nihil hîc ab Ecclesiasticis peccatum esse, satis docuerint optimi scriptores Antiqui. *Livius l. 3. c. 20. Sed nondum hæc, quæ nunc tenet seculum, negligentia Deûm venerat: nec interpretãdo sibi quisq; jusjurandum, & leges aptas faciebat, sed suos potiùs mores ad ea accommodabat*. Ubi manifestè status impiorum hominum per *seculum* declaratur. Nec ferè aliter *Terentius* Eunuch. act. 2. sc. 2. *Olim isti fuit generi quõdam quæstus apud seclum prius, hoc novum aucupium est*. *Plautus* Trin act. 2. sc. 2. *Novi ego hoc seculum, moribus quibus sit, malus bonum esse malum vult, ut sui sit similis: turbant, miscent mores mali*. *Tacitus* Hist. l. 2. *Neq; Paullinum sperâsse corruptissimo seculo tantam*
 uul-

vulgi moderationem reor. Quintilianus declam. 3. *In hoc ruentis in deteriora seculi cursu.* Idem declam. 4. *Iratum seculo numen.* Seneca de Tranq. animi c. 2. *Obirascens fortunæ animus, & de seculo querens.* Iterum Seneca l. de brevit. vitæ c. VI. *Ista vitia nullum non seculum devorabunt.* Ibidem c. 12. *Tanta incredibilium vitiorum copia ingenioso in hoc unum seculo processit.* Sic & *Lucanus* l. 4.

Perdita nunc urbi nocuerunt secula, postquam Ambitus & luxus . . . Idem l. 5. 2. sunt nobis nulla profectò
Numina, cùm cæco rapiantur secula casu.

Florus l. 3. c. 12. *Illæ opes atq; divitiæ afflixere seculi mores*, id est, hominum. Idem l. 4. c. 9. *Antonius primùm hostes, deinde cives, tandem etiam terrore sui secu-*

culum liberauit, id eſt, genus humanum. Idem l. 4. c. 12. *Cæſar Auguſtus pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens ſeculum gravibus, ſeveriſq; legibus multis coercuit.* Terent. Adelph. act. 3. ſc. 2. *Hoccine ſeclum? ò ſcelera! ò genera ſacrilega!* Valer. Max. l. 5. c. 3. *Rude illud & ferox ſeculum conditoris ſui cruore fœdè maculatum.*

LV. *An verò* Servare legem, *bonum ſit, in Antibarbaro diſputavi ex* Cic. 2. *epiſt.* 17. *Nunc firmandæ ſententiæ addo Horatium I. epiſt.* 16.

Qui conſulta Patrum, qui leges, juraq; ſervat.

Hæc *Cellarius*. Ego in gratiā Cl. *Cellarii* roborandæ eidem ſentētiæ hæc adjicio: *Livius l.* 37. *c.* 54. *Maſſilienſes non ſonum modò linguæ, veſtitumq; & habitum, ſed ante omnia mores, & leges, & in-*

genium ſincerum,integrumq; à contagione accolarum ſervârunt. Ovid. l. 1. de Pont. epiſt. 1.

Quicquid ideſt, adjunge meis, nihil impedit, ortos
Exule,ſervatis legibus,Urbe frui.

Iterum *Ouidius* Metam: l. X.

Faſq; ſit,inquirant, legumq;examina ſervent.

Lucan. l. 2. — — ut non niſi lege Metelli
Serventur leges — — Et *Juvenalis Sat. 6. Seruatâ ſemper lege, & ratione loquendi.* Cicero l.1.ad Attic. epiſt. 15. *Dixi, hanc legem P. Clodium jam antea ſeruâſſe pronunciare enim ſolitum eſſe, & non dare.* Val. Max. l. 3. c. 7. *Qui meminerat omnes leges à ſe eſſe ſeruatas.* Sed & *Seneca* l. 2. de Benef. c. 18. *Qui animum in pateſtate habent, & legem ſibi, quam uolunt, dicunt, & quam dixerunt, ſeruant.*

Hæc

Hæc pro *Cellario*: intereà minùs mihi probatur, quod paullo ante scribere sustinet: *Implere legem*, inquit, *frequens in Ecclesiâ phrasis. Lactantius 4. pręcepta factis adimplere.Ciceroniana sunt, parere legi, observare legem.* Idem iam antè in suo *Antibarbaro* : *Implere legem, minùs commodè, & forsan sine exemplo dicitur.* At sine exẽplo, & quidem illustri non dici, vel unus docuerit *Ovidius* l. 3. Amor.

Nunc habeam per te, Romana tragœdia, nomen,
Implebit leges spiritus ille meas.

Quintil. Declam. 15. *Scriptionem legis implere.*

LVI. Sine omni, *barbarum est. Cæsar Gall. l.7. sine ullo maleficio. 3. 24. sine ullo vulnere. Sic Latini omnes.* Hæc *Cellarius*. At ego non assequor, qui barbarum æsti-

æstimari possit, quod *Plauto* toties se se probavit. Is Trinumm. act. 2. sc. 2. *Quia sine omni malitiâ est, tolerare egestatem ejus volo.* Hîc ne quidem locum habet id, quod succedaneum æstimat *Cellarius*; neq; enim tutò dixeris, *sine ullâ malitiâ* Iterum *Plautus* Trin. act. 3. sc. 1. *Cui rem tuam cùm credideris, sine omni curâ dormias.* Iterum *Plautus* Avlul. act. 2. sc. 2. *Te civem sine malâ omni malitiâ semper sum arbitratus.* Idem Avlul. act. 4. sc. 1. *Nunc sine omni suspicione in arâ hic assidam sacrâ.* *Plautus* Mercat. act. 1. sc. 2. *Sine malo omni.* Terentius Andr. act. 2. sc. 3. *Hic reddes omnia, quæ nunc certa ei consilia, incerta ut fient; sine omni periculo.*

LVII. Spectare, *pro pertinere, in possessionis descriptione, ut Belgium spectat ad Hispanos, barba-*

barum est. Ita quidem *Cellarius*, sed mitiùs fortasse judicabunt, qui legerint illud *Senecæ* l. *6*. de Benef. c. 3. *Non sunt vestra in depositi causà sunt: jam, jamq; ad alium dominum spectantia, aut hostis ista, aut hostilis animi successor invadet.*

LVIII. Sternutatio, *pro sternutamento*, *barbarum*. Sic putat *Cellarius*; sed cùm nihil barbarum dictione æstimet ante tempora *Caroli Magni*, recognoscat mecum, utrum *Augustinus*, immò verò utrum *Apulejus* post Carolum Magnum scripserint, quibus hæc vox nititur patronis. Sanè *Apulejus l. 9*. Metam. *Interdum*, inquit, *acerrimo, graviq; odore sulphuris juvenis inescatus, atq; obnubilatus intercluso spiritu diffluebat; utq; est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes*

nes

nes commouebat. Atq; primùm è regione mulieris, pone tergum eius maritus acceperat sonum sternutationis, quòd putaret ab ea profectū, salutem ei fuerat imprecatus. Sic *Augustinus* Serm. 241, de tempore ait: *Illas verò non solùm sagrilegas, sed etiam ridiculosas sternutationes considerare, & observare nolite.*

LIX. Titulorum frequentia *ad ætatem latinitatis cadentis pertinet, præsertim illi tituli, qui, ut dialectici loquuntur, per formam abstracti efferuntur, ut Eutropii, mansuetudo tua, tranquillitas vestra. Symmachi, æternitas vestra, aliorum, præstantia tua, excellentia tua, magnificentia tua, claritas tua, Celsitudo tua, nostra serenitas. Mirari possis, jam tum Tiberii ævo Vellejum Paterculum dixisse, mediocritas nostra, & pro captu mediocritatis*

tatis meæ, item Valerium Maximum, mea paruitas, Sed hęc tum rara erant declinantis latinitatis exempla: postea Constantinorum & sequenti tempore hujusmodi formulę ad fastidium frequentatę sunt. Huc usq; *Cellarius*. Cæterùm abstracti illi, ceu vocant, tituli non cœpere primùm ęvo *Valerii Maximi, aut Paterculi*, ipse eloquentiæ Parens Tullius viam præiit. Vox ejus l. 2. de Oratore: *Dicam equidem, Cæsar, inquit, quid intelligam: sed & tu, & uos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti Oratoris diuinitate quadam loqui, sed de exercitationis & consuetudinis meę mediocritate*. *Quintilianus* Inst. l. 11. c. 1. citat verba Ciceronis illa: *Quid putem? contemptumnè me? non uideo, nec in uita, nec in gratia, nec in rebus gestis, neq; in hac mea mediocritate*

in

ingenii, quid despicere possit Antonius. Item Crassus apud *Ciceronem* l. 2. de Oratore: *Per tuam nobilitatem, inquit*, sc. rogo te. Taceo illud *Tullii* ad Famil. l. 16. epist. 21. *Ejus suauitatem vehementer amplector*. Et mox: *Ex meis angustiis illius sustento tenuitaté*. Videamus autem *Senecam* l. 3. de de Irâ, c. 25. *Omnia licet facias, minor es, quàm ut serenitatem meã obducas*. Sequitur *Tacitus*, apud quem ita Tiberius, Annal. l. 2. *Graue moderationi meæ, tot eligegere, tot diferre*. In vineâ Cardinalis Carpensis marmor exstat ita literatum: *Maximo Principi, indulgentissimo domino Valéti, triũphatori semper Aug. C. Cejonius Rufius Volusianus V. C. Prӕf. Vrbi, iterum judex sacrarum cognitionũ, serenitati ejus dicatus*. Apud *Aoissardum* in vetusto marmore legas:

gas: *Arcadio, pio, felici, triumphatori, ſemper Auguſto Albinus deuotus Numini, Majeſtatiq; ejus.* *Plinius l. 7. c. 45. Variana clades, & Majeſtatis eius* (Oct. Auguſti) *fœda ſugillatio.* Vellejus Pat. l. 2. cap. 129. *Pace majeſtatis ejus dixerim. Lucanus l. 7.*

Imperii ſalvâ ſi majeſtatis liceret,
Voluerer ante pedes.

Quintilian. Declam. 3. *Oblitus mediocritatis meæ quædam pro univerſo dicturus* (*ſum*) *exercitu.* Quintilianus Declam. 4. *Interim apud grauitatem Veſtram depono, ſenſiſſe aliquid patrem, etiam cùm metuit.*

Tandem *Symmachus* evagatur latiùs: *Veſtra indulgentia, inquit, affatum mihi tribuat. Item, ſpero tuam exietatem,* &c.

LX. Transmutatio, *barbarû,*

immu-

immutatio latinè. Ita *Cellarius*. Neq; ego absolvere sustinui, antequam fidem faceret *Quintilianus*, qui Inst. Orat. *l.* 1. *c.* 5. *Nam duos*, inquit, *in uno nomine faciebat barbarismos Tinca Placentinus* (*si reprehendenti Hortensio credimur*) *preculam pro pergulam dicens: & immutatione. cum c pro g uteretur: &* transmutatione, *cum r præponeret antecedenti*. Et paullo post: *Solœcismus fit adjectione : ut veni de Susis in Alexandriam. Detractione, ambulo uiam, Ægypto uenio. Transmutatione, quâ ordo turbatur, Quoq; ego, enim hoc uoluit, autem non habuit*. Idem. l. 9. 4. *Sed transmutatio*, inquit, *& collocatio*.

LXI. Verbotenus *malè adhibetur, cúm memoriter & ad uerbú aliquid pronuuciatum dicitur. Latinè sonat, secundum externa uerba,*

&

& ſenſui, quem ſignificant, opponitur. Hæc *Cellarius*, de quibus ego hîc nihil; niſi quód addam, *Vlpianum* & *Amm. Marcellinum*, quos ille laudat Auctores, melius ævum quærentibns non ſufficere. Juvandus propterea erit teſtimonio illuſtris T. *Liuii l.* 34. *c.* 5. *Rem defendam*, inquit, *non nos: in quos jecit magis hæc Conſul uerbotenus, quàm ut re inſimularet.* Ita etiam editio Gronoviana.

LXII. Truncare. *Dubitant Lexicorum Conditores, & ipſe cum iis Voſſius, an prioris Domitiani ævo hac voce uſi ſint. Livius tamen* l. 31. c.30. *dixit, ſemiuſta, & truncata ſimulacra Deûm.* Hæc *Cellarius*. Sed ex participio illo Liviano nihil ſolidè colligi, præter alia quæ afferri hìc poterant, oſtenderit vel vicina illi vox *ſemiuſta*, quæ cum proba ſit, *ſemiu-*

rare

vare tamen nemo, quod sciam, Veterum dicere sustinuit. Vt tamen patronus reæ voci accidat Domitiani ævo vetustior, in medium prodet *Lucanus*, quem cõstat in Nerone, diu ante principatum Domitiani occisum esse. *Is* ergo ita l.6.

> *Truncavitque caput, compressaque dentibus ora*
> *Laxâvit.* ---- --- & mox
> *Sanguine cæsorum truncare cadavera Regum*
> *Sperat* ---- ----

Plautus etiam milit.glor. act. 2. sc.3. *Nonne tibi istam prætruncari linguam largiloquam jubes?* Aliàs circa Domitianum ita locutus *Tacitus*, *Silius*, *Statius*. *Tacitus* hist. l.3. *Dum pecuniam sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur.* Statius Sylv.l.5.

> *Dulce, vel Heroos gressu truncare tenores.*

Si-

Silius l. 14.

Dum tentat, sæuâ truncatur mê-
bra bipenni.

LXIII. Vergo, *si æquiparatur nostro gereichen V. gr. Vergere in honorem. barbarum est. Loci enim & temporis apud Latinos est.* Livius 22. *Quæ Insulæ ad Macedoniam vergunt. Hora diei ad meridiem vergebat.* Ita *Cellarius.* Cæterum non tantum loci, & temporis verbum est, sed & ad alia omninò transfertur. *Seneca* l. 2. de Irâ c. 16. *In frigora uergentibus immansueta ingenia sunt.* Idem l. de Tranquill. animi c. 1. *Hæc animi inter utrunque dubii, nec ad recta fortiter, nec ad praua uergentis.* Idem l. de vitâ beatâ c. 15. *Sed nec Patriæ quidem bonus tutor, aut uindex est, nec amicorum propugnator, si ad uoluptates uergit.* Idem l. 5. de Benef. c. 27.

Ta-

Tamen propriè ingratus appellatur, qui ad hôc uitium uertit. Si ergo rectè dicimus *uergit*, ad voluptates, ad vitium, cur non idẽ liceat dicere *uergit in* (seu potius *ad*) *honorem*, non video causam satis evidentem; quamquam malim illud *Plinii* Junioris: *pertinet illud ad gloriam tuam.*

LXIV. *Sed & antequam* ex hac scenâ discedamus, mantissæ loco *paucis hîc monendum de nonnullis & primò quidem de vocabulis*, indubius, decollare, manifestare, novissimè, bibo, onis, Divus, a, *um, adjectiuum.* Dubitat *Cellarius* utrum apud *Quinctilianum* Instit. 5. c.13. legatur, *indubia exempla.* cæterum & accuratissima editio *Hackiana* Anni 1665. ita tradit. & textus non patitur sustitui, vel *vetera*, vel *dubia*, aliàs sensus sibi non constaret. Ita enim *Quinctilia-*

lia-

lianus : *Exempla rerum variè tractanda sunt, si nocebunt: quæ si vetera erunt, fabulosa dicere licebit: si indubia maximè quidem dissimilia*, sc. esse dicendum est. *Decollare* Cellario est inclinantis latinitatis vocabulum, usurpatum demum à Senecâ utroq; & Svetonio. Verû & usurpatur à *Plauto* Capt. act. 3. sc. 1. *Est mihi illic spes una cænatica : si ea decollabit, redibo huc ad senem, ad cœnam asperam.* Idem Casin. act. 2. sc. 4. *Si sors autem decollassit gladium faciam culcitam, eumque incumbam.* Ita etiam optima editio Lugd. Bat. Anni 1645. cum notis Varior. Scio *Scaligerum* putare, *decollare*, hîc idem esse, atque è collo deponere, & aliud esse *decollare* Svetonii, aliud Senecæ. Scio Ampl. *Gronovium* dubitare, annè *decolare* scribendum, ac si

esset per colum transire; sed utramque sent etiam evertit testimonium *Plauti* in Casinâ, ubi manifestè alludit ad *κεφαλοτομεῖν* nam quid est aliud: *si sors decollassit, gladium faciat culcitram* (Vossius *culcitam*) *eumque incumbam*, quàm si spe mea excidero, à gladio opem implorabo. In *Foro Romano* rectè illud reprehendit Cl. *Cellarius*, quòd *Tò manifestare* omiserit, cùm sit *Melæ, Solini, Tertulliani*, immò & *Ovidii* negari tamẽ nequit *Lud. Cavallum* in suâ JanuâM.isar.reseratâ, & ann. 1647 Parisiis impressâ; illud idem observasse, atque versum *Ovidii* in hanc sententiam adducere. quibus nunc additur illud *Justini l.* 41. *Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur. Novissimè*, ait Cellarius, *defendit Plancus* ad Cic. 10. epist. 24. *Tiro libertus im-*

pro-

probavit: ſed refutatur à Chariſio l.2. *ex Fl. Capro, & Val. Antiate.* Bene hæc Cl. *Cellarius*, niſi quod pluribus teſtimoniis vindicetur innoxium vocabulum. *Cellarius* locũ attulit Cic.10.epiſt.ad Fam. ſed extat alius adFam.l.10.c.17. *Quo ego interprete noviſſimè ad Lepidum ſum uſus.* Et itẽ alius adFamil.l.12.ep.13. *Noviſſimè Corycũ ſe contulit.* Hirtius l. 8. de bell. Gall. *Noviſſimè imperfecta.* Livius l. 10.c.1. *Duo millia armatorũ ruẽtium noviſſimè in ipſas flãmas, dum evadere tendunt, absũpta.* Cor.Celſus l.1.præfat. *Partium interiorum notitia noviſſimè neceſſaria eſt*, apud *Senecá* nihil hac voce frequẽtius. *Bibo,onis*, *Cellario* barbara vox eſt; nec mihi equidem admodũ probatur; barbarã tamen eſſe invitus audierit *Jul.Firmicus*, qui l.5.c.4. *Vitioſi*, inquit, *erũt epulones & bi-*

bones. At seculis aliquot vetustior est *Firmicus* CaroloMagno, cujus principatu cœpisse homines barbari scribere arbitratur *Cellarius*. Tacebo, illa esse *Ciceronis* ad Famil. l.9.epist.25. *Quas habeo* (controversias) *cum tuis cõbibonibus Epicureis*. Tandem ad vocem *Divus*, de quâ ita *Cellarius*: *Non facilè probaveris*, inquit, *antiquo exemplo* Divus *esse adjectivum*, *nisi quod apud Alcimum invenio*, *Divæ vocis Anubim*. Interea quid censet de illo *Catulli* Carm.65. *Impia non uerita est Divos scelerare penates*, vel, ut hîc alii legunt *Divos parentes*.

LXV. Nec prætereunda illa *Cellarii*. *Benedicere quem*. *Apulejus ad Asclepium, benedicentes Deú, & Ecclesiæ scriptores magno numero*. *Nec aliter Petronius*: *maledic illam uersibus, & Arnobius, se omnes*

nes maledicerent. Hæc ille. Et quidē à me de hoc verbo disputatum est in *Cogitat.* nunc adjungo, videri Antiquos usurpâsse illud ipsum, sed per tmesin divulsum (ut insalutatus apud Virgilium *Inque salutatus*) & quidem in votis, conviviisque junctum accusandi casui. Neque enim *Ovidius* modò l. 2. Fastor. ita:

Et bene nos, bene Te, Patriæ *pater optime, Cæsar,*
Dicite, suffuso per sacra verba mero.

Plautus Stich. act. 5. sc.4. Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostrum etiam Stephanium. Sed & *Tibullus* l.2. eleg.1.

Sed bene *Messallam, sua quisq; ad pocula,*dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

LXVI. Est & quod moneatur de illo *Cellarii. Jubeo ut*, inquit, *inclinantis latinitatis est*, Taciti, Lampridii, Capitolini. Meliore ævo infinitivus sequebatur. Contra illud pugnat vehemẽter *Plautus*, qui Amphrit. prolog.

Nunc hoc me orare à vobis jussit Jupiter,
Vt conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caveam, spectatoribus.

Iterum Plautus eadem Comœd. act. 1. sc. 1.

Telebois jubet; sententiam ut dicant suam.

Sed & vocem *incunctanter* rejecit *Cellarius* in classem latinitatis cadentis, tanquam fœtum *Lactantii*, *Symmachi*, *Orosii*, cùm testimonio defendatur *Catonis*, de quo *Auctor* de Orig. Gent·

Rom.

Rom. *At Cato*, inquit, *in Originibus Gêtis Romanæ ita docet: Suem triginta porculos peperisse* &c. *Latinum adversum subitos, inopinatosq; hostes* incunctanter *suas copias eduxisse* . . . Pergamus: *Pro & contra*, inquit *Cellarius*, *sordes sunt latinitatis*, *quæ jubet dicere; In utramq; partem*. Malim & ego in Oratione politâ, *in utramq; partem*; sed quid obstat, quo minùs inter disputandum quãdoq; adhibeatur ἐλλειπτικῶς, & quidem satis latinè? Audiatur *Seneca l.* 3. de Ira. c. 18. *Atqui in æquo ponimus*; *utrum aliquis auferat, an neget; utrum spem nostram precidat, an differat*: *utrum* contra *nos faciat, an* pro *se: amore alterius, an odio nostri. Quidam verò non tantùm justas caussas standi contra nos, sed etiam honestas habent.* Idem l. 3. de Ira c. 8. *Non tulit Cælius* as-

assentientem, *sed exclamavit*: dic aliquid contra, *ut duo simus*. Ubi ellipsin etiam observat *Senecæ*; *Quintilian. l.* 5. *c.* 1. *Nec tamen in animo est*; *omnia quæ aut* pro *his*, *aut* contra *dici solent complecti*. Juvenal. Sat. VII. *Nil contra conor*. Et sat. 9. *Omnia nunc contra, uultus grauis, horrida, sicca*. Ut proinde tutiùs, meo quidem judicio, usurpetur, quàm illa *Cellarii*: *Stylus illatinus, latinius, latinissimus, latinissimè, Augustèum tempus, deculpandus*, licet deculpatus *Gellii* sit. Sed & cur *Abbatissa* apud *Cellarium* usq; adeo barbara vox æstimatur, ut Caroli Magni tempora non superet? quid ad hæc *Hieronymus*, cujus illud est: *Cum* inquit, *à semitis justitiæ deviat, ipsamet Abbatissa cognoscat*. Si tamen *Hieronymi* genuinum scriptum est illud de Regul.

gul. Monacharum,&c. Inter barbara *Cellarius* reponit *conditionaliter*; immemor scilicet, legi in *Instit.* tit. de legatis § longè magis: *Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud juris est*. Damnat & *Cellarius* vocem *econtra*, tãquam *Aurelii Victoris*, & *Hieronymi* partum; nihilnè ergo cõcedendum *Tacito*? qui Annal. l. 12. *Et erant econtra, qui tantam fortunæ cõmutationem miserarentur*. Ita legunt *Berneggerus*, *Hugo Grotius*, *Boxhornius*, *Pichena*. Malim tamen assentiri *Ludovico Orleans*, *B. Rhenano*, & editioni Parisiensi Anni 1608, quibus *contra* placet. Quò etiam inclinat celeb. *Jac. Gronovius* in Notis ad Tacitum.

LXVII. Novissimè in mediũ adducuntur *absq;*, *incredulus*, *incumbere*, *ita*. De *absq;* ita *Cella-*

rius: *Absq; pro fine latinis seculis rarum fuisse ostendit Vorstius*. *Addidi in Antibarb. unicum Ciceronis exemplum ex* 1. *de Invent.* & *Quintiliani libr.* 7. 2. His ego nunc addo *Lucanum l.* 6.

O famuli turpes, servum pecus, absq; cruore
Terga datis morti.

Adjiciant & alii suas observationes, ut non ampliùs inter rarissimas voces æstimetur. Sed de *absq;* iterum *Cellarius*: *Asq; illo esset*, inquit, *Terentianum est, & Terentio ut idiotismus Comicus, quod Vorstius etiam judicat, relinquendum*. Et sanè utitur *Terentius* Phorm. act. 1. sc. 4. *Nam absq; eo esset, rectè ego mihi vidissem*. Atq; *Idem* Hecyr. act. 4. sc. 2. *Quàm fortunatus cæteris sum rebus, absq; unâ hac foret*. Sæd & *Plautus* usurpare non dubitat

Cap-

Captiv. act. 3. sc. 5. *Quod absq; hoc esset, qui mihi hoc fecit palam, usq; offrenatum suis me ductarent dolis.* Idem Bacchid. act. 3. sc. 3. *Namq; absq; te esset, ego illum haberem ad ingenium bonum.* Iterum *Plautus* Menæchm. act. 5. sc. 7. *Nam absq: te si esset, hodie nunquã ad occasum solem viverem. Idem* Trinum. act. 4. sc. 1. *Nam absq; foret te, sat scio, in alto distraxissent me tui satellites.* Displicet quoq; *Cellario* vox *incredulus*, ut verbum à Theologis, præsertim autem ab *Orosio*, aliter usurpatum, quàm castæ latinitati conveniat. Vox Orosiii 7. 1. Nunc cum incredulis actio est. At ego quid ita graviter hîc peccaverit *Orosius*, non video. Non enim potuit, me judice, unico vocabulo rem meliùs reddidisse. Sive enim substituisset *paganis*, sive

ethnicis; sive *gentilibus*, abusus fuisset verbis,contra consuetudinem Veterum Latinorum. *Incredulus* autem designat eum, qui non credit, cuiuscunq; demum professionis sit, & quacunq; occasione. Ita *Horatius* l. de Art. Poet.

Quodcunq; ostendis mihi sic, incredulus odi.

Quintilianus l. 12. *c.* 8. *In summâ, optimus est in dicendo Patronus incredulus*. De *incumbere* ita *Cellarius*: Incumbere inquit *studiis Valla notavit, ut minùs latinũ. Dativus tamen suppetit apud Vopiscum*: *Araret, studiis incumberet*. Hîc licet hodie apud *Ciceronem* legas ad Attic: *incumbere ad hæc studia, non his studiis*,non dubium tamen est scriptores argentei ævi non abstinuisse, cùm non dissimilia amaverint, ut *incum-*

bere

bere labori, fortunæ, juſſo, ſectæ. *Quintilianus* Declam. 6. *Et labori incumbere oportet. ubi effectus promittitur.* Item *Silius l.* 5.

> *Perge, patent Alpes, noſtroq; incumbe labori.*

Ejuſdem *Silii* eſt *l.* 7. *Fortunæ incumbit*. Et l. 13. *cuicunq; incumbere juſſo. Juvenalis* Sat. 14.

> -- -- *juvenes hortatur, ut illam*
> *Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.*

Quin & *Tullii* eſt pro Quint. *Incumbere rationibus*; Florus l. 3. c. 16. *Rogandis legibus vehementer incubuit*. Tandem & *Claudianus* de Mall. Conſul.

> *Et vitæ pars nulla perit. quodcumque recedit*
> *Litibus, incumbit ſtudiis.*


Sed proprius vocis uſus cum dativo frequentiſſimus eſt, de

* quo

quo hîc nihil. De *ita* sic *Cellarius*: *Ita*, inquit, *similitudinis est*, *nō affirmationis. Barbarè ergo capitur pro Ja*. Hæc invitus audierit *Terentius*, qui in Eunuch. act. 4. sc. 4. iu hunc modum disserit; *Phædr. Et eâ est indutus?* Dor. *factum.* Phædr. *Et pro te huc deductu est?* Dor. *ita.* Atque paullo post: *Dor.* De istâ rogas virgine? *Pyth.* ita.

Et hæc hactenus de eruditissimo scripto *Cl. Cellarii*. Adjecissem alia, atque alia, nisi graviora interpellassent negotia, nunc finire decretum in illo *Columellæ* l. 5. c. 1. *In magnâ sylvâ boni venatoris est indaganter feras quàmplurimas capere, nec cuiquam culpæ fuit, non omnes cepisse.*

Tantum.



[illegible]